
GRYPT ALS'T RYPT.

ABRAHAMI HEIDANI

S. Theol: in Acad: Lugd: Bat: Professoris Senioris,

ORATIO GRATULATORIA,

Auctoritate & nomine

SENATUS ACADEMICI

IN

Nobilissimo & Confertissimo omnis Ordinis Virorum conventu,

Dicta coràm

Serenissimo Arausionensium & Nassoviorum Principe &c.

GULIELMO III.

Hollandiæ, Zelandiæ & Ultrajecti Gubernatore Hæreditario, supremo Terra Marique Imperatore &c.

Pridie Calendas Majas, Anno Christiano CIↃ IↃC LXXIV.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ADRIANUM SEVERINUM.

CIↃ IↃC LXXIV.



Sereniſſime & Illuſtriſſime

PRINCEPS,

TAnta eſt, factorum tuorum, & quidem unius nec completi anni, magnitudo, Excellentia & numerus, ut, quod mirum alicui videri poſſit, illa & luxuriantibus Ingeniis, & Aſiaticis Oratoribus, quibus melius ultrà, quàm citrà ſtat Oratio, & aſſentatoribus, quibus immodice rem exaggerare unum opus eſt, materiam declamandi circumciderint, & rebus ipſis ſuperatos, Inventionum & rerum ſteriles, verborum verò prodigos effecerint: Laconicos verò, & non tam quæ de re aliqua dici poſſunt, quàm debent, ſeligentes, ut rebus ipſis prolixos,

ita verborum, quæ rem alioquin prævisam non invita sequuntur, parcos & breves esse jusserint. Quod ita accidere utrisq; necesse fuit, ob gestorum pulchritudinem & copiam, quæ omnibus istis excogitatis emblematis major, peregrino fuco, & arcessitis pigmentis ornari negat, contenta se ipsâ. Ad quam exprimendam non assurgunt mediocria Ingenia, utpote habentem in se, quicquid ab illis mutuari posset. Perinde enim id sit, atque pulcherrimæ Virginis faciem, quæ proprio & suo colore nitet, cerussa & purpurisso deturpare; aut honestæ matronæ, quæ tum optimè olet, cum non olet, anhelitum peregrinis, & ab alio orbe advectis aromatis inficere. Quia si quid perfecto & egregiè facto majus dicere velis, hoc ipso illud corrumpas necesse est; & nimia curatura, quod in se est robustum, facere junceum Subsidunt enim fere verba infra rem,

ubi

ubi præter rem nihil aliud dicendum occurrit, & quod præterea dicitur, superfluit. Tum non rarò hyperbolicis illis Oratoribus illud contingere videmus, ut, dum Heroas suos supra humanum fastigium extollere nituntur, & tantum non Diis similes facere, magis opprobria illis quam laudes dicere, cordato auditori vel lectori judicentur; ipsis verò qui hoc modo laudantur, fastidium & risum non rarò debere comperiantur.

Et quamvis etiam modesto Oratori sæpe evitatu difficile sit, non aliquando in hyperbolen attolli, præstricto virtutum & factorum fulgore, quæ laudat: nescio tamen, quomodo fiat, ut simplex & rebus ipsis congruus sermo, sublimi oratione sit gratior semper & potentior, atque animum audientis magis impleat. Ut enim illa judicatur optima pictura, quæ ita affabrè prototypon suum refert, ut vix artificis manus in illa possit dignosci: Ita judico optimè in illa oratio-

ne tuam effigiem contemplandam dari, in qua minus elucet oratoris ars & calamus.

Tam multa enim ex Te ſuppeditaſti dicendi argumenta, ut ipſa copia inopiam ſæpe pepererit, & ſelectum dubium fecerit. Quod mihi eveniſſe comperior, qui præcipua tantum quædam geſtorum tuorum capita attingere, deq; iis pauca & breviter delibare contentus, ideòque præterire multa coactus, prolixitatis tamen culpam in dicendo effugere non potuerim. Cujus tamen adeo non pœnitet, ut fretus judicio amicorum, etiam mea ſponte, in excudenda hac Oratione, illam denuò incurrere, & augere etiam non dubitaverim; multa omiſſa & indicta in illa reponens, quæ non minus ad veram laudem, & nominis tui gloriam facere videbantur, quam quæ dicta fuere. In quo, ſi quid peccatum à me eſt, excuſatus ero vel ob ſenectutem, cui ſemper aliqua venia datur,

tur, vel ob pietatem, quæ artis regulis non tam arctè conſtringi ſe patitur. Neque verò, ſpero, mihi vitio vertetur, quod Plinio, Trajano ſummo Principi ſcribenti ſive dicenti, in prolixo illo, & nunquam ſatis laudato Panegyrico, laudi datum fuit. Sed omnis hujus generis cenſura mihi inermis videbitur, & inſtar imbellis projecti teli, ſine ictu; ſi modò, ab æquitate tua id mihi promittere audeo, non omninò diſplicuiſſe quæ tum auribus, nunc etiam oculis legenda ſubjicere ſuſtineo. Quod ſupereſt, ſummas quas animo concipere valeo, gratias ago pro Illuſtriſſimæ tuæ præſentiæ honore, quo & urbem noſtram, & Academiam, & me quoque ſenem, in confertiſſimo & ſplendidiſſimo omnis ordinis hominum confluxu, cum magna pace & ſilentio dicentem, honorare & beare voluiſti. Quo Me ita demeruiſti, & nexu & mancupio tuum feciſti, ut nihil magis

mihi

mihi ſit in votis, quam ut ſibi ſemper conformis & ſtabilis ſit hæc fortuna tua: neve ulla inſigni adverſitate contaminetur hæc temporum tuorum felicitas: aut ulla Invidia, aut ſiniſter rumor famam tuam obſcuret aut minuat: aut ullis malis conſiliis aut exemplis ſeducatur aut turbetur pietas tua: neve unquam idem tibi placere poſſit, niſi rectum. Quod demiſsè, & ex intimo cordis ſenſu, Celſitudini tuæ à Deo Opt. Max. cum omni obſervantia, cultu & obſequio vovet & precatur,

Celſ. Tuæ

humillimus Cliens


ABRAHAMUS HEIDANUS.

Sereniſſi-

Sereniſſime Princeps: Gubernator nobis à Deo date: ſupreme

Terrâ Marique Militiæ Præfecte: qui virtute, Heroicis factis & meritis, ſortem, genus, & honorum titulos, & diotînum nomina longe prægravas: Hoſtium terror, Civium amor: Pacis Conciliator & Proxeneta: Reipubl. noſtræ Stator: Religionis, Juſtitiæ & Libertatis Columen, defenſor, & Vindex: Academiæ hujus Patrone hæreditarie: Doctorum magnum Præſidium, & dulce decus: Orbis & bonorum deliciæ: Princeps inclyte, pie, fortis, felix:

Cui, quotquot Academiæ Cives & membra adſumus, ob ſervatam Patriam, depulſos Hoſtes, Mare liberum, reſtitutam cum Anglo tam opportuno tempore pacem: & quæ præterea accepimus, tum expectamus à felicitate tua beneficia: animos gratos, officia ſincera, benedictionum omnigenarum cumulum, florentem domum, fortunam æquabilem, longos annos, pacata tempora, atque ut ſit Mens ſana in corpore ſano, humiliter & ſubmiſſè offerimus, precamur, optamus, & Academiæ nomine, hac oratione vovemus, teſtamur.



Uod ſi, quod non arbitror, dubium alicui eſſet, forte caſuque Rectores Terris, an certo Numine darentur; Te tamen, Celſiſſime Princeps, Guber-

natorem liqueret divinitus constitutum. Qui non occulta potestate Providentiæ, quam investigare nemo possit, sed ab ipso Deo, & Populi voce, quæ est Dei, coram & palam designatus & electus es. Neque obscuræ sunt universalis hujus in Te conspirationis & amoris causæ. Es enim illis Majoribus ortus, qui ab exiguis, imò nullis initiis, magno animo, inusitato ausu, suo sanguine, quem Tyranno negatum, Patriæ devoverant, hanc Rempubl. è fundamentis extruxerunt, & ad illam magnitudinem, qua ante hanc Calamitatem visa fuit, evexerunt. Quo nullum à multis retrò seculis illustrius Exemplum fuit editum, in quo divinæ & humanæ prudentiæ luculentior concursus, & admirandæ & heroicæ fortitudinis & constantiæ exercitia & exempla magis in propatulo posita fuerunt: stupente mundo, tale & tantum inceptum, invito & reluctante potentissimo Rege, & omnes vires, & opes totius Indiæ, ut illud in herba oppримeret, & adultum demeteret, consumente & prodigente, ab imbelli & ad incitas redacto populo, Duce & Antesignano Gulielmo Auriaco, immortalis memoriæ viro, aut libertatem retinere certo, aut mori parato, ad tantum fastigium educi potuisse. Opus, si sola miracula seponas, comparandum mirabili illi populi Israëlitici ex domo servitutis Ægypti, duce & auspice

ſpice Moſe, liberationi. Ut cauſa non ſit, quare Regiminis faſces à Proavo tuo Gulielmo feliciter aſſumti, & à parricidio ejus (heu nimium Patriæ funeſto!) ad Mauritium filium, Patruum tuum majorem, & ab illo in fratrem Henricum, Avum tuum, duo illa fulmina belli, & ab illo ad Patrem tuum Gulielmum (quem fata terris tantum oſtenderunt) licet non hæreditate, at non interrupta ſucceſſione devoluti, non etiam ad Te, unicum bonorum & virtutum illorum hæredem devenire debuerint: idque quamprimum eorum ſuſcipiendorum per ætatem capax & idoneus eſſes.

Iniquum certe eſſet, & cui aſcribi non poſſet bonum factum, tantorum meritorum uſufructu privare liberos & hæredes eorum, qui nobis hæc otia & bona, ſudore & ſanguine ſuo pepererunt: quibus aut non decorum eſſet nobiſcum vivere, ſpoliatis iſtis honoribus, aut aliæ quærendæ terræ, & mutandum hoc Cœlum, ne ſe tam turpiter aliis terræ filiis poſthabitos videre cogerentur.

Sed, ut jam, quod multis nimis popularibus, & ſui ſenſus Politicis viſum, nihil valeat hæc generis claritudo & prærogativa, ſed quiſque à propriis, & quæ ipſe fecit, cenſendus veniat: Talem Te, Princeps, natura genuit, illis naturæ &

gratiæ donis instruxit & cumulavit Deus, ut etiam primus tui generis auctor esse possis, & si omnes à stirpe degenerassent, in Te generosi sanguinis superstites guttæ omnes recolligi & reperiri possint. Etenim si fingere & formare mihi Principem velim, quem hæc nunc in Te collata Potestas deceret, nunquam voto concipere possem Tibi similem, in quo, quæ sparsa in omnes & divisa, simul juncta & collecta tenemus. Honestat aliquem vultus, at mores dedecorant: Ornat animus, at Corpus destituit. Ingenium non deest, at lingua balbutiens illud dehonestat: Hic generis nobilitatem rusticitate sua obscurat: Hic bello insignis, pacem vitiis fœdat: Sæpe aliquis uni virtuti æquus, singulis impar conspicitur: Et nemo extitit, cujus Virtutes nullo Vitiorum confinio læderentur.

At tibi, Princeps optime, quanta Concordia, quantus Concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit! Qui Imperatorio & Regio sanguine genitus, & Imperio & Regno dignus & par, etiam puer visus es, & in cunis etiam vultu portendebas Imperium. Adeò præclarum est, fundamenta Nativitatis esse bene posita. Nam ut vere ille:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in Juvencis, est in Equis Patrum

Vir-

Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Cujus rei ſcintillæ & indicia ſtatim in Infantia & pueritia tua emicuerunt. Cum enim Pater immaturo & luctuoſo toti familiæ, & præcipue Tibi obitu, Uxorem gravidam reliquiſſet: atque illa octiduo tantum à funere Te puerum poſthumum enixa eſſet, ſtatim apparuit Providentiæ divinæ erga Domum Auriacam, & Te cura & Tutela. Quod & hoc pacto Principatus ille, qui præter Deum, niſi Te ſuperiorem agnoſcit nullum, Naſſoviæ ſtirpi vindicatus & aſſertus ſit: qui deficiente prole maſcula ad Extraneos devolvebatur, & multarum & moleſtarum litium materiam daturus erat. Quod ne fieret, dedit Te nobis Deus puerum maſculum & vitalem, qui jam natus, ut de Moſe dicitur eras ἀστεῖος τῷ Θεῷ, id eſt, excellenter ſeu divinitus pulcher.

Jamque vagitus tuus in cunis, tanquam debitæ magnitudinis obſes, futurum nobis Vindicem & Gubernatorem ſpondebat. Multumque illorum lætitiam minuit, qui immaturo Parentis tui obitu elati & inſolentes, quaſi in nova Republ. novam vivendi, & pro arbitrio quævis effutiendi licentiam nacti, moderatius imaginariam ſuam fortunam ferre, atque ſi ſaperent, ab In-

ſante linguam infrenem compeſcere jubebantur.

Cum verò adeò multorum intereſſet, Te aut non natum eſſe, aut ſtatim mortuum; neque eſſet qui Patris amorem, auctoritatem & curam in Te educando & nutricando ſufficeret, munus quoque nutricationis grave ac difficile redditum eſt: ſcilicet ne vel nutricum copia, & lactis vitium, vel etiam nimia Mulierum circa Te πολυπραγμοσύνη, vel negligentia, Tibi obeſſet, & ſanitati & corporis robori, & membrorum conformationi noceceret. Neque hic claudicavit in Te Numinis favor, qui ſicut mentem ſanam in Corpore ſano indidit, ita ne magnus ille hoſpes Animus male habitaret, aut à domicilio ſuo ſiniſtri aliquid pateretur, unde ad functiones ſuas obeundas piger aut cunctator redderetur, aut etiam ante tempus exturbaretur, providit.

Cumque jam procedentibus annis, cum Mens non amplius tota Corpori ſervit, nec omnia ad illud refert, ſed etiam de rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritate inquirere idonea eſt, & liberum de iis judicium ferre, ſtatim Heroïcæ mentis vigor exiluit, quo apparuiſti

Ante annos, Animumque gerens, Curaſque Viriles.

Multa hic maturi judicii, acuminis, pietatis & ſolertiæ in Te Adoleſcente obſervata ſunt ſpecimina,

mina, & profundi ſenſus apophtegmata, βαθείας φρενὸς βλαστήματα, quæ potius ex ſenili, quam Juvenili officina profecta, jam tum maturum virum promittebant.

Sed unum præ multis ſeligam, in quo velut in ſpeculo Te ipſum contemplari poſſis.] Hoc autem illud eſt, quod cum ferè morem illum ſervet Deus, ut quos magnis aliquando rebus admovere illi viſum eſt, antea per crebras afflictiones & patientiæ exercitia præparet, & ad dura toleranda aſſuefaciat (ut id Exemplo Joſephi, Davidis, Danielis, & Ludovici XI. Henrici IV. Galliarum Regum, & Henrici VII. Angliæ Regis, & omnium illorum Regum palam eſt, qui per aſpera ad ardua eniſi ſunt, & à pueris duris in rebus habiti) Deus Te potiſſimum elegerit, quem à prima Infantia ad adultam ætatem, variis, continuis & difficilibus afflictionibus, & patientiæ probationibus tentaret, & ad Virtutem duraret.

Quibus tantum abeſt, ut ſuccubueris, aut fractum animum ſubmiſeris, aut etiam miſeris querelis & lamentis Deum & homines incuſaveris, & natali tuo maledixeris, ut potius ſilentio & ſpe fortis, illa tanquam non extantia uſquam tranſmiſeris, neque ulla querula vox à Te audita ſit, quæ indigna Te eſſet, aut nimium mœrorem argueret. Potuiſti æquo animo ferre, Te, ſtipulante

lante Cromwellio, illo Britanniæ, ſub Protectoris titulo, Tyranno & ſanguiſuga, ab omni ſpe regiminis ſeclusum, privatum agere juſſum, & vix honoratum inter Cives locum conceſſum: atque non alia ratione, niſi Te in pretium dato, fœdus concludi potuiſſe. Sed ne hoc molimen ſoli Angliæ imputetur, vidimus non multò poſt, Te ſolenni & perpetuo Edicto, omnibus jurejurando ad hoc ſervandum, niſi Magiſtratu abire mallent, ne Te quidem excepto, obſtrictis, à ſummo Gubernatoris honore remotum; & extinctum illius Axiomatis nomen & decus, ne id ullo tempore in Te aut Alio reviviſceret. Quod telum, etſi vitalia peteret, tam fortiter repuliſti, ut vix ſummam cutem ſtrinxerit, ne querula quidem voce, aut ſingultu ex Te audito, quaſi ad omnes ictus impenetrabili, non aliter quam ſi ſurdus aut mutus fuiſſes, & nulla in ore eſſet Apologia. Quid nunc artificioſas illas protelationes & excogitatas dilationes memorem, quibus primum tibi ad honores debitos & promiſſos aditum & ad Conſilium ſtatus ingreſſum, ſufflaminare, aut etiam ſi potuiſſent, impedire conabantur? Quæ tantum abeſt, ut nocere potuerint, & Tibi viam ad honores præcluſerint, ut illos magis promoverint & feſtinarint, & totius Populi in Te amorem fortius excitarint &

accen-

accenderint. Nunquam majore Zelo ferventiotiores & crebriores in Ecclesia pro Te & domo tua preces ad Deum fusas memini, quam illo tempore, quo tanto conatu prohibebantur & limitabantur.

Sed quo magis animadvertebatur & exardebat in te universi Populi amor, eò minus arridebat Antagonistis & æmulis tuis, hoc tentari, & lentiores & tepidiores reddebat in hoc Negotio, imò magis indies aversos & alienos. Et jam omnis promotionis spes decollasse videbatur, nisi Deus velut ἀπὸ μηχανῆς intervenisset, talemque necessitatem derepente immisisset, quæ moram omnem abrumpere jubebat, & etiam nimis tardatum monuit. Cum enim à Gallo & Anglo, duobus illis, potentissimis Monarchis, vicinis & fœderatis, atque olim, cum res nostræ in arcto essent, summis amicis & sociis, præter omnem exspectationem & meritum nostrum, conculcato omni divino & humano jure, & posthabita fœderum sanctitate, quæ etiam apud Ethnicos in pretio habetur, gravissimum, & quidem inopinabile & ἀκήρυκτον, terra marique inferretur bellum: Necessitas, rerum Magistra, quæ legem non habet, nisi quam temporum conditio flagitat, & res præsentes imponunt, in eandem omnes sententiam & voluntatem, Proceres & Cives adduxit.

Cum enim ſine ſummo Imperatore & Duce, qui ſummæ rei præficiatur, tantum bellum aggredi conſultum non eſſet: & verò peregrinum adſciſcere, qui rebus novus accedat, nec ſit ejus auctoritatis, cui omnes parere & ſubeſſe velint, res ſit intuta, & periculoſæ plena aleæ, neque præter Te, in quo hæc omnia ineſſent, alius occurreret, protinus omnium conſenſu ad Te itum eſt.

Utinam id temporius & maturius in opere poni potuiſſet, & antequam optima gerendæ rei occaſio præteriſſet, dilapſo veterano milite, qui ultrò & ſpontè militiæ noſtræ adſcribi ambiebat: Qui incerta ſpe, & inanibus promiſsis diu lactatus, ne inertia & eſuritione periret, potius quam nihil ageret, ſub hoſte ſtipendia facere elegit. Ita tumultuarium militem legere coacti, ex urbibus textores, pelliones, ſartores, ſutores, ex agro ruſticos, omnes bello inaſſuetos, nec ordinem ſervare nec militiæ legibus obtemperare doctos; illoſque opponere exercitato & veterano militi, & Ducibus expertis, & qui bellandi veteres erant: id factum eſt, cujus ſine pudore & horrore meminiſſe non poſſumus, & quod genti noſtræ æternum & indelebile dedecus apud gentes & nationes, quibus nomen noſtrum & virtus de meliore nota innotuerat, inuſſit.

Quis affirmanti, aut juranti etiam credat, non

juſto

justo bimensi tam bellicosam & alios vincere assuetam gentem, tantum non debellatam esse, urbes fortissimas, munimenta invicta 74. quæ ad menses aliquot hostem singula occupare, lassare, & re infecta ut discederet, cogere poterant, momento non expugnata, sed hosti turpiter, non tormento exploso, non gladio evaginato, ad primam denunciationem tradita, quædam etiam sponte oblata, deserta alia; tres integras Provincias ab unito corpore divulsas & dilaceratas, populos liberos sub jugum missos: ipsam Hollandiam, quæ motum & vitam in reliquas Provincias influit, parum abfuit, in provinciam redactam, & servire coactam, ni Deus, & tua, Princeps, virtus, & populi furentis impetus, casum illum avertissent!

Sive auro Gallico ferrum nostrum retusum fuit, & probitas & fides quorundam Militiæ Ducum, & Urbium limitanearum Consulum expugnata & stuprata, & avaritia libertatis perpetua insidiatrix, illâ iniquitatis mercede accensa fuit: sive in multis, qui bellum non viderant, animus degener & effœminatus; sive panicus quidam terror, ex festinato & inexspectato gallici exercitus adventu, qui Trajecti se consumturus sperabatur, & terrorem sui undique circumferebat, infinita sua multitudine & apparatu formidabilis, ita militum

animos exanimavit, ut manus ſuas invenire non potuerint. Sive quod vel neglectu & turpi inadvertentia, vel etiam quorundam proditione, & deliberato animo urbibus & propugnaculis noſtris de re frumentaria, pulvere pyrio, inſtrumentis bellicis in tempore proviſum non ſit, nec Militum ſufficiens manus locis, quibus minime deeſſe oportuit, immiſſa: ſive inevitabilis quædam Periodus, & Reip. noſtræ converſio decreta à Deo, ſapientum ſapientiam ſuſtulit, & prudentiam infatuavit, ut fieret, quod factum dolemus & gemimus: ſive omnes cauſæ, quæ Rebuſpub: fatales eſſe ſolent, ad exitium noſtrum concurrerunt, illudque maturarunt: id certum eſt, juſto Dei judicio hæc omnia nobis eveniſſe mala, neque de Deo quiritandi, cauſam vel minimam anſam reſtare, cum in nobis hæreat omnis mali labes & culpa. Qui defecimus & rebellavimus, & manus noſtras, quia puras ad cœlum elevare nequivimus, pondere peccatorum preſſas non potuimus contra hoſtem explicare in terra. Ita minui & debellari faſtum noſtrum, quo nos regibus pene pares tulimus, & æqualibus de via cedere noluimus: Ita luxum & luxuriam, in immodico voluptatum deliciarumque uſu, nimiaque non modo in Venerem & Bacchum cupiditate & fervore verum etiam in molliorem veſtitum, lautioreſque

epulas

epulas profusione, & immanibus ædium substructionibus pudefieri, & paupertatis & servitutis intentato metu corrigi oportuit; Ita *Os nostrum, quod opposuimus Cælo, & linguam quæ pervasit terram, & sublimi sermone superavit cogitationes animi*, compesci, frænari, & ad silentium adigi necesse fuit. Dominos enim & Reges habere debent, qui se non habent.

Et jam perieramus funditus, & duos Reges, loco unius Gubernatoris, cujus ne nomen quidem apud nos extare volebamus, habuissemus, qui diviso inter se Imperio, pro arbitrio nobis leges imposuissent: Ni populus, animadversa Magistratus sui seu prævaricatione, seu præpostero metu, & quæ ex hac Reipub. inclinatione rerum conversio in Religionis & Libertatis præjudicium secutura erat, novo & non nisi tam turbatis & extremis temporibus tentando ausu & exemplo Reip. clavum timidis, an suspectis dicam, illis Naucleris extortum, fido & cujus è re esset, servari navem, & sanis consiliis auscultaturo Gubernatori in manus tradidisset. Atq; ita abolito æterno illo, quod vocant, Edicto, offensionis illo lapide, & tot scandalorum materia & causa, ut constaret nihil æternum ab homine condi posse in terris, sed solius Dei esse leges æternas promulgare, quæ omnes omni tempore obligent: unanimi & spon-

taneo universi populi, tanquam à natura insito & justo consensu; cui & mox Proceres omnibus suffragiis suum calculum adjecerunt, collatus tibi, Princeps Illust: præter restrictum illum summi Capitanei honorem, Gubernatoris titulus, cum addita potestate & Eminentia, & illo terra marique Imperio, quo olim gavisi sunt Decessores Majores tui, & nos in Te collatum videmus, gaudemus, gratulamur.

Quis non in his omnibus videt manum Dei? qui sic omnium animos & voluntates, momento temporis, tanquam si unus homo essent, ad Te inflexit, inclinavit, & Tibi agglutinavit, & hoc affectu, velut arrhabone & sacro annulo universam Tibi Patriam desponsavit. Qui certe ut est magnus Honos, ita quoque maximo cum onere, quod cum illo humeris tuis impositum est, conjunctus. Nunc enim omnium oculos in Te conjectos noris, omnium spem & expectationem in Te conversam, à quo nihil humile, nihil vulgare, sed omnia magna & invisitata sibi pollicentur: Et non modo æquaturum Te Majorum Decessorum tuorum virtutes, & facta Heroïca, sed etiam longo intervallo superaturum non dubitant. Et certe ut fimbriam tuam non extra fines nostros extendas, vel recuperare amissa, idque non cauponando bellum, ut factum, sed bel-

belligerando, ut necesse erit, Maximi & cum veteribus Imperatoribus conferendi Ducis, erit opus, labor, laus, & industria.

Neque vero hæc cogitanti, necesse erit, longè causas, quæ tibi hæc patrandi animum addant, arcessere, aut Te extra Te quærere: cum si tantum per domi Tibi nata exempla ire lubeat, non aliis ad Virtutem incitamentis indigere Te senties, quam Majorum tuorum facta tibi oculis subjicere. Qui per omnes casus exerciti, & utramque naturæ partem experti, sæpe coacti fuere nunc sibi res, nunc se rebus submittere: docti & columbæ serpentem miscere, & leoni vulpem confundere, atque ita fortitudinem cum prudentia mirabili temperamento maritare: Ut vel in hanc solam ideam intuens, omnes fortitudinis, prudentiæ & pietatis partes explicare & in opus producere, Tibi non difficile futurum sit.

Hîc verò, quia Majorum tuorum facta est mentio, subsistendum paulisper, & recolligendus spiritus. Volo enim in nitidissimo hoc Majorum speculo, Te tibi ostendere. Quia in illud diligenter inspiciens, fieri non potest, quin Te quoque in illo, permixtum Majoribus & assimilatum invenias & agnoscas, atque adeo huic speculo fias ipse speculum maximum, in quo & illi videantur.

Non enim potes animum retro ad majores reflectere, quin protinus occurrat Umbra & simulachrum Proavi tui Gulielmi I. non ut fœdati sanguine suo, & pro Patria expirantis & cadentis, sed Majestate illa & facundia decori, quâ olim in senatu, in exercitu, aut cum tumultuantem plebem compescebat, verba facere auditus & visus fuit. De quo cum silere præstet, quam pauca dicere, id dicendum est tamen. Fuisse quidem illum non Regem natum, sed qui quid sit esse Regem, Reges ipsos docere potuit: nimirum, ut:

Moniti justitiam discerent, & non temnere Numen.

Qui, dum Reges Europæ immensas opes prodigunt, & populos iis spoliant, & ad extremas necessitates & servitutem compellunt, atque magis evertendi quam conservandi Imperii se gnaros & cupidos ostendunt: Ipse in exiguo hoc Terræ angulo, Religioni, Justitiæ, & Libertati sacrum delubrum erigit, omnibus afflictis, extorribus, oppressis tutissimum receptum & asylum. Quod maximum Inceptum, cui simile non legitur, etsi ob Nobilium inter se, & cum clero & plebe dissensum (ut fieri solet, ubi quot sunt capita, tot sunt sensus) & nimium formidatas Magni Regis longas manus, & longas Iras & quia Papatui certum & Belgio exter-

exterminium allaturum id judicabat, non falsò fortè, Clerus, ætatem ferre non potuit, neque omnibus Provinciis probari & placere; Id tamen eo effectum vidimus, quod hoc pacto Provinciis Belgicis bene de rebus suis augurandi spes affulsit major: præcipue occasione celebris illius Pacificationis Gandavensis, quæ utut non, ut sperabatur, finem malorum attulit, at respirandi tamen à malis facultatem ad tempus dedit, & viam ostendit subjectis, qua Principi suo, si æquis conditionibus imperare vellet, morigerari, vel si stare iis nollet, suis se viribus & mutua concordia contra vim tueri, & sua defendere valerent. Deinde, quod ab illo momento, nulli Reformato in Belgio professio fidei suæ capitalis fuit, neque abnegatione ejus vita redimenda. Sed maximum ejus fuit, & quod in totam Europam redundavit, beneficium, quod per illam Universalis Monarchiæ terribile illud spectrum & idolum evanuit, retracta in hunc terræ angulum totius belli mole. Nam interea temporis & Gallia, cui præcipue inhiabat Imperii imaginarii ille Candidatus, se sibi conciliare potuit, & quies reliquæ Europæ concessa, & constantibus Provinciis res suas stabiliendi & promovendi animus additus, laudabili illa unione quarundam Provinciarum Ultrajecti inita, quæ novæ Reip. constituendæ fuit

initium, basis & cæmentum. Jamque nihil desperandum hoc Principe Duce & Auspice fuisset, ni fatalis ille globus, manu Infernalis illius Furiæ, sub specie humana obambulantis, emissus, & vitæ, & maximorum conatuum finem illi attulisset, atque spem omnem recuperandæ plenæ libertatis labefactasset: Ni Dei providentia, excubans rebus nostris, redivivum nobis Patrem in duobus natis redhibuisset. nam tertius penè adhuc puer, Lovanii studiis operans, contra jus Gentium surreptus, & in Hispaniam in captivitatem abductus, injuste negabatur Patri & Patriæ; & generosus spiritus sive diutina servitute oppressus, sive lento pharmaco corruptus, rebus nostris inutilis redditus est. At in duobus istis spes omnis inclinata recumbebat; quorum alter vix ephebis egressus, alter adhuc vagiens in cunis, ita & ore, & extremis corporis lineamentis, & sermone & gestu Patrem referebant, & adulti omnium ejus, politicarum, bellicarum, & quæ christianum hominem absolvunt, se hæredes & depositarios comprobarunt; planè quasi seipsum inter duos istos filios partitus esset.

Etsi enim nulla virtutum ejus in utroque omninò desiderata sit, non negandum tamen in Mauritio præcipue Martium animum, & virtutes bel-

licas

licas excelluiſſe, quibus velut genuinus Martis pullus exultans, quot urbes cinxit, quot commiſit prælia, tot laureis ovans rediit. Ut illo florente, fœderatum noſtrum Belgium verè fuerit ſchola & campus Martis, quò ex omnibus Europæ partibus confluebant, quibus ſtudium fuit, veras belli gerendi artes noſſe; quas etiam nemo ſibi illo tempore arrogare auſus fuit, niſi illas à tanto Magiſtro & Imperatore doctus: & qui doctus erat, non etiam protinus ſummis belli muneribus & honoribus par & dignus habitus fuerit. Henricus vero, Avus tuus, etſi omnibus togæ & ſagi muneribus animo par & opere, atque omnium ſuæ ætatis hominum præcipuus: potiſſimum tamen in illo mirati ſumus, præter illam totius corporis, humana majorem, pulchritudinem, & illam in vultu & oculis habitantem majeſtatem; vere Εἶδος ἄξιον Τυραννίδος; profundam illam & inuſitatam loquendi & tacendi artem & prudentiam, & dicendi, ſi opus eſſet, divinam ſuadam: qua tam potens fuit, ut quocunque vellet, animos duceret, atque ad conſilia ſua inflecteret: ut vere Patrem in illo loqui, agere & vivere dixiſſes, ſive in Senatu orantem, ſive Milites alloquentem, ſive Legatis reſponſa dantem audiviſſes. Ideoq; etiam merito ſuo habitus fuit ſeculi ſui oraculum, & magnum incrementum: à quo magni

Reges & Principes consilia in rebus perplexis petere, non infra majestatem suam rati sunt. Et quibus id meritus est, ut & Filium unicum regiis nuptiis in Anglia implicuerit, & maximam natu Filiam electorali Brandeburgico conjugio condecorarit, & reliquas, pro merito domus, antiqui stemmatis Principibus elocarit: Et primus Celsitudinis titulum illustrissimæ familiæ intulerit.

At ne nimium Nassovia hæc propago visa potens foret, si propria hæc illi semper dona fuissent: temperare hanc florentis domus felicitatem ad tempus Deo placuit, & tristem eclipsin fulgenti huic soli obducere: cum Filium unicum, spem familiæ, & quem ad antiquam virtutem, animosque viriles, & Avus & Pater & Patruus excitabant, & calcar addebant, jam maturum rebus & parem, immaturo & acerbo obitu rebus humanis exemit, ostensum terris tantum. Quo tamen, si vitam ulterius illi prorogare datum fuisset, non quisquam forte de gente altius Nassovios sustulisset Avos, nec Belgica quondam ullo se tantum tellus jactasset alumno.

Inconsolabilis fuisset hic dolor, & non æstimabile damnum, ni in Te Gulielme tertie, labentis domus fortunam, & subitas fundatissimæ familiæ ruinas reparare, & nova & duratura

Rei-

Reip. nostræ fundamenta jacere Deo visum esset.

Qui jam summis illis IV. viris Quintus additus, quæ à tribus prioribus gesta sunt, & à Quarto promittebantur supplere & superare unus debes & potes. Et vero dubitare de eo non sinunt nos, tot illustria rerum testimonia, & spei pignora non ita pridem nobis data, obsides fidei & virtutis & felicitatis tuæ. Quorum non ultimum, quod tantum non desperatis Patriæ rebus adhibitus, non desperasti de Rep: sed periculosæ rem plenam aleæ aggredi magno animo ausus, lubens tanto oneri supposuisti humeros : eoque omnium animos de publica salute anxios excitasti, paratos omne tuum periculum subire suo.

Et nonne Te jam frena status moderante, continuò alia rebus facies inducta, præut luctuoso & fatali illo anno, qui superiorem præcessit res nostræ erant, quo nutabant fundamenta terræ nostræ, & fatiscebant columnæ ejus, & omnia præsentem intentabant ruinam? At nunc, quæ rerum conversio! Nova lux orta est, quæ labantes civium & militum animos erexit, & pristinam in præcordia virtutem reduxit: ut qui antehac, etiam non viso hoste, non nisi fugam præ metu cogitabant, nunc ipsi hostem quærere & lacesse-

re audeant, Batavicæ & priſtinæ fortitudinis memores. Adeò quidem ut tunc facilius hoſti fuerit, munitiſſimas urbes, imò integras provincias in poteſtatem ſuam redigere, & ſubjugare, quam nunc eſt, vel minimum propugnaculum manibus noſtris extorquere.

Neque tamen, licet imminutam valde & acciſam, prorſus etiam fuiſſe intermortuam Belgarum virtutem, illo eclipſeos tempore, quo tenebræ operiebant terram noſtram, teſtantur tot Heroïcæ fortitudinis edita exempla. Teſtatur Smyrnenſis claſſis, perfidè & ante declaratum bellum, ab Anglis, ut noſtrorum opinio erat, adhuc amicis, ideoque ſic ſatis, niſi leviter ante moniti fuiſſent, indiligenter agentium, inſidiosè oppugnata: ita tamen viriliter defenſa, ut quamvis non ſine damno, ſalva tamen evaſerit, & non niſi cum damno & pudore hoſtium, & bono omine felicis in futurum hujus belli ſucceſſus, incolumis in patriam renavigarit.

Teſtatur Ardenburgum, ignobile Flandriæ oppidum, tam fortiter à paucis civibus, accedente fœminarum, verè Amazonum opera, contra ingentem Gallorum militum numerum, defenſum, & captura multorum illuſtrium & egregiorum ducum & militum nobilitatum. Ubi primum terrâ lacertos movit Libertas.

Teſta-

Testatur Groninga; sævissimam ab immani hoste, Prædonis potius & Lupi, quam ovium Episcopi nomen merente, obsidionem passa. In qua toleranda, præclara civium, militum, atque etiam studiosorum, sub eximio duce Rabenhautio, virtus eluxit. Laudandi veniunt maxime cives, qui magno & contemtore animo ruinas urbis suæ negligentes, quam feralibus suis bombis in favillas & cinerem redigere moliebatur hostis, fatigatum continuis eruptionibus, cum ignominia à mœnibus suis repulere, æternâ digni laude, & non tacendâ Annalibus gloriâ.

Testatur Coverdia limitaneum & invictum propugnaculum, detestanda ignavia & proditione hosti sine sudore & sanguine traditum, sed majore militis nostri virtute, per glaciem ferro & igne via aperta, claro die, non cauponando, more Gallorum, receptum & expugnatum.

At ne nimium his successibus insolescerent nostri animo, sed paulatim discerent se à tristibus attollere, placuit Deo his lætis permiscere amara quædam, atque ita temperare gaudia nostra. Inquies enim Galli animus, & honoris avidus, ne tantum cauponis instar, pretio aut proditione urbes emisse aut suffuratus esse diceretur, non vera virtute aut aperto marte memorabile aliquid tentasse; Trajectum ad Mosam,

inter

inter capitales Brabantiæ urbes non postremam, commeatu, cive & milite refertam, arte, opere & situ (quo Gallos præcipue juvare poterat) admirabilem & munitissimam, sibi delegit, in qua oppugnandâ vires & industriam experiretur. Quæ etiam festinatâ & paucorum dierum operâ expugnata, exemplo esse potest, nihil mortalium ingenio tam posse firmari, quod non tandem improbo labore, & pertinace vincendi studio superari queat. Sive enim ipsius Regis, hactenus felicis, præsentia & majestas, & in urgendo opere assiduitas, sic ducum & militum animos accendere, & vitæ prodigos efficere valuit; sive novus & crudelis ille oppugnandi urbes mos, Turcis usurpatus, illisque solis relinquendus, nec imitandus Christianis, obsessis terrorem attulit & desperationem: cum continuo in demortuorum locum, novum militem quasi è terra nascentem, succedere viderent neque spatium recolligendi vires, aut requiem à laboribus sibi dari: impulso sine ulla mora pedite ab instante & urgente equite, ne retrò respicere aut fugere posset; cum æquale illi vitæ periculum, tam ab obsessis, quam commilitonibus immineret. Quæcunque causa sit, præter opinionem nostram & totius Europæ accidit, ut urbs hactenus credita invicta, & saltem ad menses aliquot hostem occupare

potens,

potens, momento quaſi expugnatâ in Regis poteſtatem devenerit. Ut jam poſt tot prodigioſos ſucceſſus, nihil ſic Regi ſuſpectum eſſe debeat, quam longa illa & non interrupta felicitas, blandientis Fortunæ luſus & ludibrium. Quæ niſi reverenter à Rege habetur: vix eſt, ut non tandem experiatur illud Chaldæorum Regis fatum, „quod olim Propheta illi cecinit. Nimirum, „ut Regibus illuſis, & Principibus ludibrio habitis, dum ipſe omne munimentum irridet, & „aggerit pulverem, & capit illud: Tunc pervadente ſpiritu & tranſeunte, luat, & vis il- „la, quæ illi fuit pro Deo ſuo, illum deſtituat. Certe ab illo tempore, nihil ille memorabile, & tanto opere dignum geſſit, ſed fulminis inſtar, quæcunque loca adiit, evertit, poſtravit, non aliter quam ſi fulminatus ipſe fuiſſet.

Tum vero Batavis ex indignatione animum redire vidimus, atque tam alte animum tuum, Bellicoſiſſime Princeps, jacturam hanc pupugiſſe, ut quia conſilia tua de ſolvenda obſidione, ob loci diſtantiam, militis noſtri paucitatem, & temporis brevitatem, non ex voto proceſſiſſent: amiſſum hoc decus, fortiſſimi oppidi Nardæ recuperatione compenſandum ſtatueris. Etſi enim Nardam Trajecto opponere, perinde alicui videri poſſet, ac ruſtico judicio Mantuam Romæ ſi-

milem facere: tamen vel ob loci situm, quo si alius, incommodabat rebus nostris (tribus enim tantum leucis Amstelodamo, Hollandiæ nostræ Capitolio, abest, & equitatus nobis omnem usum, sita in terra solida & arenosa, nobis tollebat) & quia conferto & fortissimo Helvetiorum & Gallorum præsidio insessa, & extructis recens munimentis fortior, unice conducebat rebus nostris, non esse illam diutius in potestate hostium. Videbatur multis insaniæ quædam species, rem tantam adulto jam autumno, & tam pluvioso cœlo tentare, & propinquo hoste duce Luxemburgio cum justo & nostro numerosiore exercitu. Sed inviam virtuti nullam esse viam, tu nobis opere ipso demonstrasti Princeps; qui simul cinxisti corona Urbem, festinatis cuniculis, & continua tormentorum verberatione dejectis exterioribus munimentis, & quassatis mœnibus, & inscensioni viam monstrantibus, ita terruisti hostes, ut vitam & res salvas pacti, deditionem facere compulsi sint. Hic prima salutis spes & via liberandæ Patriæ ostensa.

Sed an interea cessatum mari? Imò nunquam & nusquam in Oceano Britannico & nostro, nec forte etiam, ut præfiscinè dicam, à condito Mundo, majora virtutis exempla edita sunt. Quæ dum tenuiter & breviter recito, credite me Magnalia

Dei

Dei, & mera vobis Miracula narrare, tribus illis & ſtupendis Victoriis à noſtris ab hoſtibus reportatis conſpicua. Cum enim duabus duorum potentiſſimorum Galliæ & Angliæ Regum claſſibus Mare ſtratum eſſet, quales non eſt memoria olim in Oceano noſtro viſas fuiſſe(niſi quis forte Hiſpanicam illam, invincibilem à ſuis dictam, quâ anno illo mirabili 1588. Philippus Angliam, & Nos ejus appendicem ſubigere & ſui juris facere cogitabat, multum opinione ſua falſus, hiſce accenſendam vel conferendam putet) & quibus optatum ſucceſſum, & certam victoriam deberi, omnium opinio, & noſter metus erat, & ipſi hoſtes noſtri ſibi augurabantur, & ſpondebant: E contrario accidit, ut duobus prioribus præliis, quibus octiduum tantum interfuit, noſtra claſſis ſuis tantum pollens opibus, & inſtructa navibus & hominibus ſuis, deſerta à vicinis & amicis omnibus (quorum aliquibus tam utilis & tempeſtiva, rebus eorum dubiis, opera noſtra fuerat) licet numero & magnitudine navium, tormentorum, ſociorum, militum & auxiliorum omnis generis inferior multum & impar hoſtili,at animis, & bonæ cauſæ fiducia ſuperior, auſa fuerit primum incurſum hoſtilem fortiter ſuſtinere,ſecunda verò vice hoſtem etiam laceſſere, atque fortius impetum inferre: Illo eventu & exitu,ut depreſſis & incenſis

aliquot hostilibus navibus, majoribus, minoribus, & multis crebris tormentorum ictibus perforatis & edossatis, & ingenti ductorum & sociorum strage edita, mari excedere, & celeri, & turpi fuga portus suos repetere, hostis sit compulsus. Id non obstitit tamen quin vix bimense exacto, resumtis animis & viribus, & refectis navibus, ad eluendum prioribus præliis acceptum dedecus, & detergendum ex Annalibus pudorem, ut ne Batavo inferior Anglus haberetur, immani & infelici conatu nostros denuo aggredi; & tertiare pugnam ausi fuerint. Putabant enim classe nostrâ in vicino mari subductâ, socios prioribus pugnis lassatos securius agere, atque adeò imparatos, levi opera vel opprimi posse & debellari, vel ob desidiam nostram tuto ipse posse militem suum exponere in Zelandiam, atque oppida aliquot nostra capere, aut agrum incendiis & cæde devastare.

Ast aliter visum Deo Zebaoth, cujus unum opus superbis resistere, humilibus succurrere, & qui quam militibus suis, pro justitia armatis, futuram prædixit pugnam, etiam in congressu pugnantibus largitus est victoriam. Cum enim ad rem ventum est, tam sana & recta Navarchis inspiravit consilia, & omnia momenta rerum observandi solertiam; sociis vero tam promtam ducibus obediendi voluntatem, & periculorum &

mor-

mortis contemtum indidit, ut quasi jam illis robur & æs triplex circa pectus natum esset, omnibus idem esset animus vitam pro laude pacisci. Atque ut ipse præsens Agonotheta agnosci possset, cujus nutu & jussu omnia gererentur, ita mare ex usu nostro stravit, fluxum & refluxum ejus præter naturæ leges, retardavit & inhibuit, ne exscensionem in tempore facere posset hostis, ita opportune in ipso pugnæ initio ventum vertit, quasi nobis militaret æther, & conjurati venissent ad prælia venti.

Fuit hic ultimus conflictus omnium acerrimus, sociorum cæde, sanguine, vulneribus, ruina & incendio navium, & occidione ducum tum ex nostris aliquot, tum vel maxime ab Anglorum parte atrox. Inter quos præcipue lugendus ille Angliæ Neptunus Sprag, cujus virtuti, si in fatis fuisset, Anglos superiores fuisse hac pugna, victoriæ gloria videbatur deberi. Nunquam fortiore & majore animo rem gerere & dimicare visi sunt Angli; sive nationis bellicosæ ambilio, & amissi nuper decoris recuperandi cupido: sive ut Gallum, nimis hic desidem, & post principia pugnantem, suo exemplo provocarent, aut saltem victoriæ testem haberent, illis stimulos addidit ad extrema & desperata quæque audendum: id maxime movit, ne dici possent dominatu maris excidisse.

 disse.

disse. Nostris vero animum addidit evulgatum inter socios, crudele hostium decretum & evertendi gentem nostram propositum, eamque Romanorum exemplo velut alteram Carthaginem delendi: prout vox illa & horrendum carmen in supremo Anglicæ Gentis consessu auditum fuit, & ex Regii Ministri ore exceptum. Quo & pudor noster in furorem & vindictam exarsit, & recens accepta terra ignominia, non nisi egregio facinore mari eluenda & expianda, & quædam quasi vincendi consuetudo, sociorum animos ad ipsa pericula provocanda invitavit, & pulchræ & decoræ mortis avidos, & non falsos victoriæ candidatos fecit.

Miraculum vobis, an Prodigium narrabo, Aud: Quod tribus hisce navalibus pugnis, ne unica quidem navium nostrarum desiderata sit: nisi quod una primo prælio, quia excedere pugna ob haustas & imbibitas aquas debuit, in ipso pene portu, inscitia ductoris vadis illisa periit. Quod vero rarum est Dei beneficium, primis duobus præliis omnes Thalassiarchæ nostri & Duces incolumes & illæsi evaserunt, tertio prælio, ut videtur, reservati: in quo tres ex medio ordine Admiralii, gloriose & fortiter pro patria pugnando, (quod dulce & decorum,) occubuerunt. Et ut omnis victoria amat curam, ita mox

à pug-

à pugna reparata eſt claſſis, ut vel ad quartam vel plures etiam pugnas, ſi opus eſſet, & ſicut erat avida, ita quoque eſſet expedita.

Tanta hæc ſunt, ut nihil magis cavendum nobis ſit, quam, ne quid hic decerpatur de gloria, quæ ſoli Deo debetur, ita ut neque cum illo partiri illam velimus, aut reti noſtro ſacrificare; quaſi aut Thalaſſiarcharum & ducum noſtrorum providentia & virtus, (quæ certe hic magna fuit,) & omnium occaſionum prudens ſelectio & occupatio, & appropinquandi & recedendi, & remeandi rurſus, & ignem dextro tempore hoſtilibus navibus ſubdendi, & tormenta explodendi ſcientia & peritia, hæc omnia effecerint: aut militum virtus, ſociorum alacritas & promptitudo, & diſcurrendi per omnes navis partes celeritas, ut unum eundemque nunc tormento adſtare, mox vela attollere aut deprimere, nunc clavum gubernare, momento per rudentes in ſummum malum evadere & eniti videas, nobis oculos perſtringat, & à Deo avertat. Cum niſi Deus adfuiſſet ipſe certantibus, & noſtris animum & fortitudinem, hoſtibus terrorem & conſilii inopiam immiſiſſet, & undas tranquillas eſſe, & ventos propitios flare juſſiſſet, & omnium præliorum Brabeutes ipſe adſtitiſſet, nobis ne manus quidem noſtras movere, aut invenire illas, ut S. Vates loquitur

quitur, datum fuiſſet. Etenim, quam volumus licet, Aud: ipſi nos amemus, tamen nec numero Gallos, nec robore Anglos, nec calliditate Hiſpanos, nec gravitate & fide Germanos, nec artibus illos omnes, nec denique hoc ipſo hujus gentis ac terræ, domeſtico nativoque ſenſu, Flandros & reliquos Belgas præcellimus; ſed pietate ac Religione, atque hac una ſapientia, quod Dei immortalis numine omnia regi gubernariq; perſpeximus, hactenus tot victorias ab hoſtibus reportavimus, tot terrâ marique ſtrenua opera & facinora edidimus. Non prætereunda hic nobis tua, Princeps Vigilantiſſime, diligentia & cura, qui non ſatis habuiſti, ante claſſis excurſum in commune cum Navarchis conſulere, & omnes bene gerendæ rei rationes expendere, & juſta lance librare: Etiam ipſe claſſem, cum in anchoris ante littus noſtrum ſtaret, adire & viſere voluiſti, & jam antea ſocios & militem gravibus & κερθμίοις illis literis compellaras, & officii ſui admonueras, idque iis verbis, quæ vel ignaviſſimo cuique animum addere, & mortis pro patria contemtum ingenerare poſſent. Ut neque hîc abfueris.

Sed quid, quæſo, nobis profuiſſet, Mare vindicaſſe, & tam ſplendide viciſſe, ſi anguſtè nobis in terra noſtra, & ſub lubitu novi domini, habitandum fuiſſet, aut eâ carendum? quod certe parum

parum abfuit, si tantum prosperitate sua, & nostra ignavia uti scivisset Gallus. Et certe nisi te nobis Deus, Princeps desideratissime, desperatis rebus Gubernatorem dedisset, & necessariis huic tempori virtutibus, & heroïca fortitudine donasset, jam perdideramus terra marique imperium, nec ubi navibus victricibus tutam stationem assignaremus, habuissemus.

Heîc vero nobis Deus, pro more suo, quo semper omnes res nostras confecit nobis, è machina adfuit, cum in Te, Princeps Belliciosissime, nobis alterum Scipionem tanquam è sepulchro reduxit & exhibuit. Qui olim, cum Italiæ ille Incubus Hannibal, præter urbem, universæ terræ potens, non nisi cum Romani imperii ruina, bellum illud finiturus videretur; salutari consilio tranferendum illud ex Europa in Africam, atque ita retrahendum Annibalem ad tuenda propria, populo Romano auctor fuit, & persuadere potuit. Similiter Tu quoque, magni hujus Imperatoris vestigia secutus, primum cum Hispano, dein quoque cum Imperatore societate inita, in hosticum promovenda castra censuisti, & verò, quæ tua est suada, sociis rem facilem factu ostendisti. Quod magni animi ceptum, licet initio sine sperato successu abierit, ita tamen hostes consilii anxios reddidit, ut ab illo tempore, tota belli ratio mutata sit.

 Certe

Certe per C.T. non ſtetit, quod non ſtupendo illo ſtrategemate, (ſi ſucceſſus propoſito reſpondiſſet) bellum à finibus noſtris momento in hoſticum tranſlatum vidimus: ſuſcepta omnium admiratione, generoſa illa, media hyeme, expeditione ad Carolo-Regium. Qua obſtantem Gallorum exercitum, expugnato Falcoburgo, loco cedere, & Ducem ejus Durazzium, ſola fuga ſe tutum putare, metumque tui ad Ubios uſque circumferre juſſiſti. Et certe ni hyemis intemperies tam ſubitò ingruens, obſtitiſſet, & non in tempore repræſentata tormenta & promiſſa auxilia, ſicut convenerat, egregium inceptum corrupiſſent, capto illo Regali & inexpugnabili munimento, viam Tibi irrumpendi in ipſa Galliæ viſcera, ferro aperuiſſes. Sed careant, opto, ſucceſſibus, qui tam ſtrenuum & virile facinus ab eventu notandum putant; Potius inde diſcant hoſtes, juvenem hunc Leonem non temere eſſe laceſſendum, ne aliquando recollectis viribus, majore & feliciore auſu & impetu res majores aggrediatur, & metuere cogat, quos omnes jam metuunt. Cui enim magna & præclara tentandi, omnes aſperitates ſupervadendi, & difficultates omnes ſuperandi adeſt voluntas, mirum ni & vincendi illa & faciendi aliquando illi detur facultas.

Antequam hinc abeam, unum adhuc ſupereſt ut dicam, quod non tantum à malevolis notatum,

tatum, ſucceſſu caruiſſe hanc expeditionem; ſed & quod interea dum abſuiſti, pene periculum adiimus, ſi non amittendæ, at ſaltem gravi damno exponendæ & mulctandæ Reip: Hoc enim interim ſpatio, Gallus occaſione hac utendum ratus, valida veteranorum collecta manu, Ultrajecto movit: certus beneficio glaciei, in mediam Hollandiam irrumpere, & ſi totam vaſtare non poſſet, ſaltem Leydam noſtram, & vicinam Hagam militibus prædam dare, & incendio deformare. Id factum præcipue ducis Luxemburgii inſtigatione, qui ſi auctoritatẽ Ducis demas, nihil eſt aliud, quam lutum ſanguine maceratum, ſævitiæ & avaritiæ oſtentum. Ille ergo aureos montes militibus pollicitus, & impunitas fore cædes, rapinas, raptus, libidines, fœminarum & virginum ſtupra, ædium direptiones, pagorum incendia; ita animos illorum incendit & inflammavit, ut ſi vel in ipſum Infernum ducere potuiſſet & voluiſſet, promtos & ſequi paratos habuiſſet. Hoc animo ille, contemto frigore, per lubricam, nec adhuc tanto ponderi ſuſtinendo firmam glaciem, exercitum promovit ad Swammerdamum, & Bodegraven, populoſiſſimos & amœniſſimos iſtius tractus pagos, egregia tunc nomina, nunc rudera tantum, buſta & funera. Quò cum veniſſet, comperit non ſolum loca iſta à milite noſtro denudata, ſed & ulterius omnia ope-

ra & castrorum munimina deserta: & exercitum nostrum, sive Præfectorum inertia, sive vano metu (nam de proditione non constat) partim Goudam, partim Leydam versus abiisse. Qui si stare tantum voluisset, & defensionem simulare, madidum & fessum hostem solo vultu transitu prohibere: & si animus rediisset, florem illum militiæ Gallicæ delere & proterere potuisse, peritorum opinio est. Itaq; in vacuum veniens, neque habens qui resisteret, continuò lupinum animum nudavit, & contra inermes viros & imbelles fœminas, pueros & infantes, & contra tecta & parietes, omnes crudelitatis species & formas exercuit.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet!

Nulli ætati, nulli ordini, nulli sexui parcitum: sævitiæ, libidini, cædi, incendio, nullus modus nec finis datus. Vidisses non solum virgines, sed & immaturas puellas, honestas matronas, uxores aspicientibus & frementibus maritis, etiam vetulas à furiosis illis tauris subactas & stupratas, & expleta libidine, omni cruciatus & ludibrii genere dedecoratas: ut pro munere habitū fuerit, posse mori. Quicquid vitâ præditum occurrit, novæ illis sævitiæ argumentum fuit. In templa, domos, privata & publica ædificia, quibus hi pagi, velut oppida referti erant, ita sævitum injecto igne, ut nisi una

domo

domo ſuperſtite, omnia conflagrarint. Credo, Galle, Te nobis immaniſſimæ illius Lanienæ Pariſienſis typum in hoc facto oculis ſubjicere voluiſſe, ne gentis veſtræ indoles ulla oblivione deleatur. At extra orbem noſtrum quæras, ſuadeo, apud Canadas, Madagaſcaras, & Anthropophagos homines quibus hoc pacto imperes. Nobis Batavis, qui ab hoc uno crimine qualis ſitis omnes, diſcimus, tam altè ab hoc facinore ſedet animo, omnium potius bonorum jacturam, & ultimam ſanguinis guttam profundere, quam tales pati Dominos. Ut merito Leydenſes & Hagienſes inter maxima Cœli beneficia numerent, vos non vidiſſe. Qui, ſi non inſperatò pluviam è theſauris ſuis eduxiſſet Deus, & emiſſo verbo & vento congelatas ſtantes aquas liquefeciſſet & fluere feciſſet, vix illum caſum evaſiſſent. Ita quod nobis ſalutis, illis fugæ & metus cauſa fuit: qui pedem ultro promovere non auſi, duos turpiſſimos errores commiſere: tum quod illud ad Goudæ cataractam à noſtris extructum munimentum, cum noſtri illud non tenerent, occupare neglexerint: quo magnum & longum nobis faceſſiviſſent negotium: tum quod munitiones noſtras, tanta cura & ſumtibus è mediis aquis erectas, vacuas invenientes, tenuiter tantum illas demoliri contenti fuere. Quas ſi retinuiſſent, & præſidio & opere firmaſſent,

ſent, formidabile, nec facile avertendum inde bellum opportunè nobis inferre potuiſſent. Interea opportunè ſupervenisti, Princeps, & tanquam beneficum ſidus adventu tuo, omnium animos recreaſti, metu liberaſti, & fugato hoſte, & receptis munitionibus, omnia pacata reddidiſti.

Hæc verò injuria an contumelia dicam, ſic exulceravit animum tuum, Princeps generoſiſſime, ut niſi vindictam retuliſſes, vitam tibi acerbam fore credideris. Nam ab illo tempore obſidere hoſtem undique cepiſti, extructis hinc inde munimentis, quorum nullum unquam capere potuit: & expugnata tam forti & celeri opera Narda, omnia etiam tuta timere hoſtem docuiſti. At ne in tenui labor eſſet, majora mox de Patria liberanda agitaſti conſilia: quorum iſtud palmarium, de transferenda aliò tota belli mole, ut ibi extingueretur bellum, ubi primum natum eſt. Imminebat jam Rheno Cæſareanus exercitus, qui quamdiu conjunctus fuerat Brandeburgicis copiis, tota æſtate nihil memoratu dignum contra Gallos egerat: niſi quod quamdiu conjuncti fuere exercitus, hoſtem detinuere, ne ulterius in Germaniam irrumperet, aut tota virium mole in nos inſurgeret: at poſtea Brandeburgico (cauſas Deus novit, hic nihil diffindere auſim) clam Germano, cum Gallo tranſigente, ne otioſus maneret

ret, jungi nobiſcum optavit, & conjunctis viribus bellum geri. Hanc tibi fronte divinitus, Princeps, oblatam occaſionem, & bene capillatam, ne præterlapſa calvam oſtenderet, prehendendam ratus, ſine mora, magno ſilentio, aſcita parte Hiſpanici exercitus, agrum Colonienſem, & in eo Bruelam, Epiſcopi ſedem & domicilium, ubi infauſti hujus Belli cum Gallo fundamenta, inita cum illo ſocietate leonina, jacta ſunt, ſtatim atque pedem in eo poſueras, occupaſti. Et quidem primo adventus tui nuncio, Electorem, & cum eo Furſtembergios, peſſimi conſilii ſuggeſtores & auctores, Patriæ venditores, fugere & latebras quærere compuliſti. Qui hinc inde dilapſi, Elector quidem Coloniam petere & monaſterii colonus eſſe ad tempus optavit: alii alio diffugere, ita exanimati metu, ut quid agerent, planè neſcirent. Inde promoto exercitu, & cum Cæſareano lætis auſpiciis ſociato & conjuncto, & mox oblato tibi Generalatus, ut vocant, honore, mira accidit rerum converſio. Viſa mihi tum eſt Germania, illa vagina gentium, tot liberarum nationum Mater, illa olim Martis officina, & artium alma nutirx, ab ingratis & degeneribus Filiis prodita & vendita, jamque emtorem nacta, ſi tradi potuiſſet: non illo cultu & Majeſtatis inſignibus,

bus, quibus olim rebus florentibus ornata & decora videbatur, sed squalido amictu, & fœdato præ nimio dolore vultu, mœsta & atrata incedens, aspectu Herois nostri, Germanici sanguinis Principis, & in cujus vultu Avi Imperatores & Reges adhuc legebantur, recreata, & quasi novo spiritu animata, denuò revixisse, & ab hoc occursu lætiore vultu conspici cepisse: atque pro gloria duxisse, tanto Liberatori manum porrigere, atque à tali Chorago ad honesti belli choreas invitari. Utpote adhuc memor, quanta olim bella felici successu & exitu, Nassoviis ducibus gesserat. Nec mora, extemplo à conjuncto exercitu obsidetur Bonna, urbium post Coloniam in illo tractu præcipua, varia belli fortuna celebris, situ ad Rhenum, aula Principis, munitione & præsidio militari bene instructa, & ad sui defensionem egregie composita & valida: quæque capta, captores totius ditionis reddebat dominos. Hic maxime nostri Imperatoris virtus eluxit, qui festinandum ratus, & operibus ipse invigilans, ita institit obsessis, eosque continuis assultibus lassavit, ut brevi temporis spatio, deditionem facere compulerit. Et ni instans hyems, pluviâ, nebulis, nive, & gelu fœda & horrida, aciem militum retudisset, & armorum progressum retardasset, non est dubium, quin

paucæ

paucæ adhuc reliquæ urbes, idem exemplum secutæ se victoris arbitrio permisissent. Sed humanitatis tuæ fuit, quæ Nassoviis ducibus peculiaris semper fuit virtus, parcere militi, & ne magis ab aeris & terræ injuriis, quam ab hoste læderetur, in hyberna illum mittere, ut proximis castris novus accederet. Hæc nos, Aud: tam stupenda & insignia, ne culpâ ingenii deteramus, ita levi penicillo adumbramus, quæ integræ & justæ historiæ aliquando materia erunt. Tantum id addere necessarium duxi: Gloriosæ hujus expeditionis magnitudinem, non posse rectius æstimari & comprehendi, quam ex iis quæ illam protinus consecuta sunt, effectis, & beneficiis. Quod enim respiramus à malis, quod ex hisce angustiis in patentem & liberum aerem educti sumus, quod ad vicinas urbes, & loca ab hoste infessa, securus aditus datus est, & commercia cum amicis exercere licet, quod spes recuperandi perdita ostensa, quod pristinum genti Decus assertum, id totum felicis hujus expeditionis beneficium est. Cujus rei fama, contineri intra terminos nostros non potis, extemplo per totam Europam fuit didita, eamque læto hoc & gratissimo nuncio replevit. Hæc verò quantâ admiratione, applausu & encomiis excepta, & quot laudibus ab benevolis & amicis in

cœlum evecta fuerit: Quanta initio inter ſpem & metum ſuſpenſos malevolos & hoſtes, quia quod certum erat, more ſuo credere nolebant, incertitudine & pudore detinuerit, & mendaciorum fabros fecerit: Quanta indignatione, pallore & metu, poſtquam omnia fama majora comperta ſunt, eos terruerit, afflixerit, poſtraverit, Quis mente concipere, quis verbis explicare valeat? Ita jacens Gentis noſtræ exiſtimatio, quæ jam ob perditas terrâ res, laborabat plurimum, & paſſim in aulis & menſis Pricipum ſannis & ludibriis diſcindebatur, & famoſis libellis, picturis, dicteriis & jocis, & omnium colloquiis differebatur, repente mutato ſermone, omnium ore laudata eſt & prædicata, atque etiam victoriæ confeſſio inimicis, invitis licet & frementibus, extorta. Quin etiam (quod propius nos contingit) ab hoc momento Gallos ita externatos vidimus, & conſilii inopes & incertos, ut velut ſiderati nihil occipere, nihil moliri auſi, tantum de convaſandis vaſis, & abducenda præda ſolliciti fuerint. Et ut eſt genius & fatum gentis, ut feliciores ſint in quærendo, quam partis tuendis, vidimus illos ad primum famæ hujus nuncium, Ultrajectum & vicina oppida, imo integram Provinciam, in qua tam impotenter dominatum & tyrannidem

exer-

exercuerant, & populum expilaverant, & hostiles excursiones in Hollandiam fecerant, sponte sua, nullo hoste viso aut persequente, tantum obsidibus acceptis, qui magno ære vexationem civium & direptionem urbis redimerent, desetuisse. Cujus exemplum mox secutæ Bommelia, tota Velavia, Campena in Transisulanis, Steenwicum: & spes est brevi Gelriam & Transisulaniam evacuandas.

Magno argumento, potuisse nos initio belli planissime resistere Gallo, & virtute propria irritos reddidisse omnes ejus conatus,& prodigiosos successus prævenire, si modo Te, Princeps, summum imperatorem, & rerum arbitrum habuissemus. Certe ab hac hora respirat Germania, & Gallicorum armorum despectus quidam illi natus est: Principibus injuste oppressis nova lux orta, & spes brevi recuperandi sua ostensa: & primi illi gradus, quibus ad præmeditatam & tanto opere cupitam Monarchiam ascendere nitebatur, jam amputati & provoluti sunt. Quod majus est, ne à fœderatis & sociis quoque deseratur, metuendum illi quam-maximè. Infidæ enim sunt semper amicitiæ, quas non verus amor, non justitia & honestas, sed ambitio, avaritia & in scelera eadem consensus conciliant. Et nonne videmus Angliam, quasi è ve-

 terno

terno excitatam, melioribus conſiliis dediſſe locum, aulicorum quorundam avaritiam & perfidiam deprehendiſſe, & ficti amici δῶρα ἄδωρα, & mendacia auxilia, & verborum lenocinia & fucum Regi jam pellucere, & quam ſemper cum ipſo ambivimus & proſecuti ſumus pacem; jam nobiſcum ex animo velle? Imo jam ſummo Dei beneficio, & bonorum gaudio ad exitum perductam.

Quibus omnibus rite penſitatis, ſic exiſtimo, Te, quas in ſummo Imperatore res ineſſe oportere olim Cicero ſcivit; ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem, eas omnes tibi ineſſe, vel unica hac expeditione comprobaſſe & oſtendiſſe. Quaſi enim cum lacte hanc peritiam imbibiſſes, aut à majoribus per traductionem accepiſſes, ita illam geſto hoc bello exeruiſti, ut nulla res fuerit in uſu militari poſita, quæ tuam ſcientiam fugerit. Quæ verò dicuntur virtutes ſive artes Imperatoriæ, ut eſt labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo: tanta illa in te uno inſunt omnia, quanta non ſingula in multis. Quid dicam de aliis virtutibus, artis hujus Architectonicæ comitibus & adminiſtris, innocentia temperantia, fide, facilitate, ingenio, humanitate? Ita vero illa tibi propria feciſti, ut quod, aliis multo rerum uſu, & longa experientia conſequi

ſequi vix datur, id tibi indoles & naturæ quædam bonitas & perſpicacia ſponte ſuggerant & ſubminiſtrent. Quoniam vero *Auctoritas* multum in bellis adminiſtrandis, atque imperio militari valet: atque vehementer pertineat ad adminiſtranda bella, quid milites, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatoribus exiſtiment, cum certum ſit, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certa rætione commoveri. Eam vero tantam tibi Deus Opt. Max. contulit ſtatim initio regiminis, cum bello noſtro præpoſitus fuiſti, quantam non multi veterani duces rebus præclare geſtis conſecuti ſunt, aut meruerunt. Quid enim non poſſit illa oris majeſtas, & totius corporis decor, morum gravitas, & nervoſa illa dicendi breviloquentia, & plus quam ſenilis providentia, & agendi quævis ſuo loco & tempore ſolertia, quæ in Te velut radii emicant, & omnium animos in admirationem trahunt, & in tui amorem incendunt? Habes enim verè illud, veteribus tantopere laudatum, ἑλκυστικὸν, quod etiam non animadvertentibus obrepit, atque exteros, indigenas, ſimul te viderunt, allicit, ut gloriæ ſibi ducant, tali duci optemperare, & ab eo leges accipere. De Felicitate verò, quia præſtare illam de ſe ne-

mo poteſt, ſed eſt eximium Dei beneficium, timide & pauca dicenda ſunt, ſicut æquum eſt homini de poteſtate Dei agenti. Multis enim & magnis Imperatoribus ea negata eſt, vel ſemel tantum, & ſæpe quaſi per ludibrium oſtenſa tantum. Tu verò quantas res domi, militiæque, terra marique & præcipue in Colonienſi hac expeditione, felicitate & celeritate geſſiſti? ut tuis ſemper voluntatibus non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint. Vix veneras, vix videras, & jam viceras.

Hæc vero tanta ac talia ſunt, Princeps feliciſſime, ut de iis cogitare non poſſis, quin animum ſubeat Reverentia & timor Jehovæ, qui tam magna & inuſitata per Te operatus eſt, ut vere & exanimo Te ſub potente ejus manu humiliari neceſſe ſit, quo materiam illi porro te extollendi præbeas.

Atque hactenus quidem Te, velut Martem quendam thorace & ſago amictum, enſe accinctum, & baculum dextra tenentem vidimus. Quia vero ut in pace cogitandum de Bello, ita in Bello de pace, neque alio bellandum animo, quam ut pacem inde conſequamur: atque pacifica poſthac habituros nos tempora Tibi & nobis vovemus, & non incertis auguriis id nobis videmur poſſe promittere: Age, & quia tum magis pacis artibus, quam

quam belli ſtudiis uſus erit, & Te togatum paulisper, depoſitis armis & ſago contemplemur: & quovis pignore certare auſim, non minus decorè Togam ſeſſuram, quam ſagum.

Atque hic mihi orandus venis, Princeps clementiſſime, ut ne in ſequiorem partem, atque à me dicentur, interpretari velis, ſi ſenili parrheſia, pauca quædam tuam celſitudinem monere audeam, quæ rita perpenſa, Remp. noſtram eò uſque beatam efficere valeant, ut & convaleſcat à malis ſuis, quibus laborat, & conſtante proſperitate floreat & gliſcat, atque æquabili fortunæ tenore ſemper gaudeat & fruatur.

Inprimis, quia rebus adeò turbatis & perplexis ad Reip: clavum acceſſiſti, quibus omnia inteſtinis diſſidiis fervebant, & triſti exemplo (utinam nunquam redituro!) multis in locis cives inter ſe & cum magiſtratu ſuo commitetebantur: adeò quidem ut locis quibuſdam ſine ædium direptione, & ſanguine & cæde (horreſco referens) hæc contentio abire non potuerit: Tuæ hic ſunt partes, haſce Reip. noſtræ tempeſtates & decumanos fluctus, (quamvis magnam partem benignitate Dei, & tua opera compoſitos & ſedatos) porrò auctoritate tua, qua polles compeſcere, & ſapientiâ ſerenare. Quia juſtus metus ſubeſt, ni factiones hæ in herba

oppri-

opprimantur, & doceantur pati pacem, qui ſponte nolunt, novi fluctus Navim noſtram in mare referant, atque ita ultima noſtra deteriora fiant primis. Niſi enim mature & dextrè hæ turbæ componuntur, & convenienter genio gentis, verendum, ne majus nobis ab interno hoc hoſte, quam ab externo aliquando immineat periculum, & ingruat damnum. Sunt enim hæc *publica belli ſemina, quæ populos ſemper merſere potentes*: atque ut ſapienter monet *Livius*, ſemper erunt populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in Dei iras, velut ultima publicorum malorum vertunt.

Præterea, quoniam nobis Batavis, Oceani accolis, continuò eſt vaſtum hoc Maris æquor arandum, quia illud eſt fundus redituum noſtrorum, & per illud quaquaverſum in omnes Mundi partes datur excurſus & aditus: quo negato vel occluſo, rerum & mercium, quibus abundamus, exportatio, & earum quibus egemus, invectio nulla eſſet, atque ita momento ad inopiam & eſuriem redigeremur: Inter præcipuas tuas curas, & hæc eſſe debet, quæque C. T. ut maris ſummum Præfectum, inprimis decet, ut mare, quod Deus, Natura, Jus Gentium omnibus mare colentibus, & mercaturam facientibus pervium & navigabile eſſe voluit, liberum & apertum conſerves. Cum

niſi

nisi ille solus Mare clausum reddendi jus habeat, qui *apposuit illi vectem & valvas, dicens, hucusque venies, & hic depone superbiam fluctuum tuoru n.* Quæ si non in memoria verba, certe in mente sensum illorum habuit magnus *Canutus*, Regum Anglorum decus. Qui cum obsideretur ab adulatoribus, Corvis aulicis, dicentibus illi omnia servire illi, & ad nutum ejus, vultumque converti: ille fœdam adultationem sic repressit. Spectantibus „ iis sedem regiam in litore maris posuit, in ipso „ accessu ejus & fluxu: tum dixit: Tu mare ditio- „ nis meæ es, & Terra in qua sedeo, est mea: Im- „ pero tibi & denuncio, ne in terram meam „ ascendas, nec membra nec vestem domini tui „ madore profundas. Dixerat; at dicto non parens mare, tenorem suum tenebat, veniebat, alluebat. Tum resiliens: En, inquit; quam ego „ omnibus imperito! Quin sciant omnes, qui „ terram incolunt, vanam esse & falsam Regum „ potentiam: atque unum eo Imperio dignum „ qui verè imperium inhibet cœlo, terræ, Mari. „ Quod si ad exemplum Canuti sibi jugiter præciperent, & animo imitandum proponerent Reges terræ, majore modestia Imperium haberent, atque lubentius se illi subjicerent, *qui fecit cœlum, terram, mare, & quæ in iis sunt, & cujus proinde est terra & plenitudo ejus.*

Vides, Princeps fortiſſime, quam arduum munus adieris, dum non terram modo habitantibus tutam: ſed & mare piſcantibus & mercaturam facientibus pacatum præſtandi provinciam ſuſcepiſti. Quam ut recte geras & impleas, animis opus eſt, & pectore firmo. Neque enim officia hæc rite & ſicut oportet, obire & præſtare hominis eſt de vulgo, & cui anima eſt pro ſale, ſed cui ſunt de meliore luto ficta præcordia, cujuſque cordi multum auri indidit Deus. Ille inſtar aquilæ, inſolitos in ſublimi aere meditantis niſus, non captat muſcas, ſed in integra ovilia irruit, & in reluctanteis Dracones impetum facit. Atque talem te nobis fore, ſpondet tua indoles, ſub fauſtis nutrita penetralibus, & cujus vim inſitam promovent ſana conſilia, rectique cultus pectora roborant. Neque ſanguinem illum & genus tuum, quo cretus es, fallere jam potes, aut degenere inertia polluere, cum alta mente hoc tibi ſedere, debeat, *Naſſovii ſanguinis neminem ignavia factum immortalem.*

Quam multa hîc, Princeps Illuſtriſſime, adverſa tibi concilianda inter ſe veniunt, quam diverſa multa, ſuo quæque ordine collocanda, ut effectum intentioni agentis reſpondentem producant! Eſt, ubi plus valet peritia, quam Doctrina, ut in bello ſæpe, & ſubitis rerum, ubi in

arena

arena capiendum Consilium: Est, ubi pietas prudentia melior est: Aliquando uno verbo, & silentio quoque plus quam Oratione proficitur, & altius imperata sæpe penetrant, ubi ὁ δεσπότης μονοσύλλαβος: sed & est, ubi præmeditata oratione opus est, ut cum seditio est coercenda, & dissententium animi componendi: Iræ aliquando species assumenda, nunquam ira: nec plebei artificii est, id agere, ne Vultus verba destruat, aut vultum verba. Hîc tibi aperta est Prudentiæ schola, & latissimus ejus exercendæ campus, quæ etsi in multis non nisi seris ab annis veniat, felicibus tamen ingeniis per se connata est, & lectione Historiarum, & sanis consiliis compendio acquiritur. *Vetus dictum est*, & Hesiodo proditum; Primum esse illum virum; cui quod opus sit, ipsi in mentem veniat, & qui ipse consulat quod in rem sit: secundum eum, qui pretiosum à vili discernere norit, & alterius bene inventis obtemperet: qui nec ipse consulere nec bene monenti parere scit, eum extremi esse ingenii. At quoniam sive ætate, sive non recta Institutione, sive natura etiam, & aulæ quodam contagio & vitio, prima illa animi & ingenii sors multis negata est; nec possit Princeps (etsi primæ notæ sit) sua scientia cuncta unus complecti: necesse illi est, etiam alios in partem curarum assumere.

 Hic

Hic verò Conſiliariis fidis & Miniſtris ſtrenuis opus eſt: illis qui lingua & mente imprimis juvent; his qui manu & opere. Ut enim recte ille; *Conſilia ſenum, Haſtæ Juvenum ſunt.* Præcipuus dilectus eſt in Conſiliariis expertis, probis & fidis: quoniam conſiliari, eorum quæ inter homines, diviniſſimum eſt, & à quo ſalus Regnorum & rerum pendet. Cum longo uſu r .npertum ſit, omnia Regna, Civitates, Nationes eò uſque proſperum Imperium habuiſſe, cum apud eos vera conſilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas, aſſentatio ea corrupere, poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt. Itaque eligantur non Juvenes, quorum mollis & fluxa ætas voluptatibus patet, & dolis haud difficulter capitur, & ad pauca animo reſpicit, nec ſibi ſapiens nec aliis conſulere apta: ſed ſenes, ætate graves, animorumque Provinciæ gnari, fortuna varia exerciti, & utramque Naturæ partem experti, Patriæ amantes, Dei timentes, liberi animi homines, Principem nihil ejus, quod ſcire illum refert, celantes, neque crudum verum, atque ideò ſæpe auribus ingratum, diſſimulantes; prudenter tamen, & licet non mutent, tamen multis ſe aptare norunt, non quidem ſemper euntes uno gradu, ſed una via. Hoc eſt Juvenis Principis honeſtiſ-

nestissimum satellitium, quo stipatus, tutior erit ab insidiis & erroribus, quam si decem Helvetiorum phalangibus latus obtegat. Hoc intelligens Dux ille Græciæ apud Homerum, nunquam optat, ut Ajacis, Juvenis militis, similes habeat decem, quam ut Nestoris, senis, ex cujus lingua melle dulcior fluebat Oratio. Dignum est quod de Carolo V. memoratur, hic narrari: cum illum viginti annorum Adolescentem & Imperatorem, populus Wormatiæ, ubi prima sua Comitia celebrabat, imberbem & Juvenem plane conspiceret, & jam cavillandi inde occasionem arriperet; hoc solo repressum fuisse, quod in Comitatu ejus videret tam multos consiliarios, viros senes, Canitie & barba venerabiles, quos maturis & senilibus suis consiliis Juventutis ejus austeritatem probe temperaturos sibi persuadebat.

Et reverà nullum majus boni Imperii instrumentum est, quam boni & fideles amici: Neque tam exercitus & thesauri, præsidia Regni sunt, quam amici. Quibus si aditus datur, si aures patent, si fiducia loquendi, quod è re tua optimum putant, non negatur: protinus diffluet illa levium hominum turba, ìgnavâ operâ, philosophâ sententiâ, quique ad gratiam omnia loquentes, sicut muscæ pretiosum unguentum, ita illi omnia adulationibus vitiant & corrumpunt: *Aularum pestes*

&

& carcinomata, bonorum hostes, & quibus unum opus est, sententiis aliorum contradicere, omnis Consilii, quamvis egregii, quod non ipsi afferunt, inimici. Quos si procul à Te facessere jubeas, & *linguas lædentes clam proximum, & elatos oculis, & tumentes animo, homines dolosos, & loquentes mendacia*, Dei & verbi contemtores, & sacra jocis & dicteriis & profanis parodiis aptantes, & sic sal suum insipidum reddentes: si illos inquam mature removeas, contemtim habeas, vultu disturbes, brevi Aulam habebis, qualis nullibi terrarum alia similis hodie visitur; nimirum conformatam ad Ideam Aulæ illius quam sibi animo præstituit, & opere, quantum potuit, & praxi ipsa efformavít Regum fortissimus & pientissimus David, vir ille secundum cor Dei; uti illam nobis Psal. 101. compendio effigiavit. Hæc est illa Aula, cujus Ideam animo tam altè impressit filius Salomo, tam feliciter opere imitatus est, & ad vivum expressit, atque visam ita admirata est Regina Schebæ, ut cum excitata fama ejus, *ad illum venisset, & vidisset cibum mensæ ejus, & consessum servorum ejus, & stationes ministrorum, qui ei erant à poculis, & ascensum ejus, quo ascendebat in Domum Jehovæ: non esset amplius in ea spiritus.* Adeò ut sapientiam ejus & bonitatem famâ majorem comperta, *beatos homines & servos ejus prædicarit, qui stantes*

tes coràm eo, jugiter audirent ſapientiam ejus. 1.Reg. 10.

Neque difficile tibi erit, Princeps Religioſiſſime, adhoc laudis faſtigium conniti, ſi piorum Regum & Ducum virtutes, Religionem, Juſtitiam, Fidem, modeſtiam & probitatem imitandas Tibi, & per exempla eorum eundum Tibi propoſueris, ut ipſe quoque aliis exemplo eſſe poſſis. Quia enim qui magno Imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, latere alios non poſſunt; ut non eorum facta cuncti mortales norint, ideò jure cavere debent, qualem famam habeant: eò magis, quod, ut catè *Tacitus*, inviſum ſemel Principem, ſemper ſeu bene ſeu male facta premunt. Quod ne eveniat Tibi, virtutem non ſimulatè, ſed ex animo colas: & ad exitium humani generis natas voces execreris: *Sanctitas, pietas, fides privata bona ſunt; quà juvat, Reges eant.* Cum, ut rectè Cicero, nulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & ſplendorem, & nomen amittas. Quid enim eſt, quod afferre, tantum utilitas iſta, quæ dicitur, quantum auferre ſi boni, viri nomen eripuerit, fidem, juſtitiamque detraxerit? Quid enim intereſt, utrum ex homine quis ſe convertat in beſtiam, an in hominis figura immanitatem gerat beluæ? Capitalis certe Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum ſolum, quod omnium tanquam ſceleratiſ-

ratiſſimum fugiendum, id excipiat, & Regi commendet.

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi cauſa
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Quæ cogitatio, ne unquam Tibi obrepat, & mentem turbet, id Tibi pro vero conſtet, omnium mortalium vitam divino numine inviſi, neque bonum neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi, ſed ex natura diverſa præmia bonos maloſque ſequi. Quapropter & eſſe illum optimum, eumque caſtiſſimum & ſanctiſſimum Dei cultum, ut eum ſemper pura, integra & incorrupta mente & voce venereris. Neque infra Principis dignitatem putes, faciem Dei in verbo ejus quærere, illud legere, & meditari in eo dies & noctes, ad illius normam omnes vitæ actiones componere, & conſilia conformare. Ex illo enim verus pietatis typus aſſumitur, quæ baſis eſt, & fulcrum omnis Regiminis & Reip. veram docens regendi artem. Sine ea non Princeps officium, non ſubditi facient: Sine ea ſocietas non erit; quia non fides, juſtitia, non virtus, ſed fraus licentia, potervitas, & confuſio hominum & rerum. Itaque & libenter & crebrò (ut facis) in cætibus piorum videaris, ut & verbo divino animum paſcas, & ſacris ſigillis fidem obſignes, & ex publicis pro Te precibus

cibus admonearis, qualis esse debeas, & qualem te populus esse desiderat.

Neve unquam, Princeps desideratissime, politico hoc sophismate perstringi tibi oculos patiaris, quod florentinus ille Magister Tyranno suo inculcat, quo Religioni Christianæ iniquum reddat; illam, dum humilitatem commendat, & omnem propriam vindictam prohibet, & mores ad modestiam format, tantum enervandis & emasculandis animis esse utilem, neque Principi ad magna incepta proficuam. Quasi nisi quis Militem exuat, Christianus esse nequeat, aut nisi Christanum, miles. Cum contrâ verum sit, nihil magis supra se elevare hominem, & majores illi spiritus addere, quam fidem in Deum, & fiduciam in divina Providentia & gratia, per quam robur & vires colligit, quales humana natura sibi relicta, nequisset attingere. Audi Davidem fortiter pium, & pie fortem, id de se ipso attestantem Ps. 18. *Deus fortis accingit me robore, docens manus meas prælium, adeò ut frangatur arcus chalybeus brachiis meis: persequor inimicos meos, neque revertor, donec consumsero eos:* & causam hujus suæ fortitudinis explicans Ps. 27. *Jehova, inquit, lux mea, & salus mea, à quo timerem? Jehova robur vitæ meæ, à quo expavescerem? Si metarentur malefici belligerantes contra me castra, non timeret animus*

meus: si insurgeret contra me bellum, etiam hac re Ego securus essem: Ideoque dicit *se non timere à myriadibus populi:* adeò quidem, ut *si ambulandum illi esset per vallem mortis, non timeret malum, quia Deus secum esset.* Ps. 23. Et nonne prisci illi Heroës, Judices, Reges, *per fidem debellarunt Regna, exercuerunt judicia, occluserunt ora Leonum, extinxeruat vim ignis, effugerunt acies gladii, validi facti sunt ex imbecillis, effecti sunt robusti in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt?* Tantum abest, ut Religio animos effœminet, ut sola sit, quæ doceat bellare bella Domini, quia omnes actiones justitiâ circumscribit, animos ad ardua durat, & sola veras non timendæ Mortis causas in se habet. Quò qui pervenit, ut Mortem non reformidet, & hoc chalybe pectus munivit, facile illi erit, omnes minores metus, qui ab hoc magno metu pendent, & in illo desinunt, temnere & conculcare. Non illum paupertas, non carcer, non exilium, non calumnia, non sinistri rumores, non prospera, non adversa, à statu compositæ mentis dimovere valent. Nihil enim habet, quod timere debeat, qui præter Deum nihil timet: Talis Deo & sorte sua contentus, quod est, esse vult, nihilque mavult: præsentibus fruitur, futuris, quæ an profutura an nocitura sint ignorat, non inhiat, & totum se transcribit Deo, certus cariorem esse hominem Deo, quam

quam eſt ipſe ſibi. Et quia res eſt præcipui cujuſdam momenti in vita humana, perſonam quam in hac mundi ſcena unumquemque gerere voluit Deus, decenter & ex præſcripto ſuſtinere & agere: & vero primæ regundæ Reipl. partes Tibi, Magnanime Princeps, creditæ ſunt, id tibi negotii datum puta, ut Rempl. noſtram calamitatibus liberes, res ejus ſecundas tuearis, & ſi fieri pote, è parva magnam facias, & in eum ſtatum evehas ut & ſupra contemtum ſit, & extra invidiam, nec injuriam facere alteri velit, & illatam repellere poſſit. Quod effectum dare, facile tibi erit, ſi modo id cures, ut & populus delectetur tuo Imperio, & vicinis Regibus & Principibus non ſis contemtibilis; ſed illi te ament & colant, hi te amicum quam offenſum malint. Illud obtinebis, ſi te ſui amantem, & officiis ſuis delectari populus intelligat, & faciles aditus, & mollia fandi tempora habeas, & nemo triſtis à te recedat, niſi malus, aut meritus. Cum hiſce verò rem habens illius *Arati* dicti, quod *Polybius* hiſtoriæ ille lex & norma, memorat, ſis memor: *Reges nec amorem, nec odium habent, ſed omnia metiuntur calculis propriæ utilitatis*, quam ſuggerit ambitio. Et ſi amare videntur aliquando, ita amant, ut mox oſuri, ita oderunt, ut amaturi rurſus, ſi ita rebus ſuis conducat. Quare

non confidendum in Principibus, monet David, ipſe Princeps. Quia omnis homo mendax. Nos verò tot caſibus, tot Exemplis docti, melius eſſe ſe recipere ad Jehovam, quam fiduciam habere in ullo homine; ita vitam & mores componamus, ut ille amet eſſe & dici Judex noſter, & legiſlator noſter, & Rex noſter, & noſtra Reſpublica verè mereatur dici θεοκρατία, in qua ſummum Imperium habeat Deus: Et in qua, quibus Recturam populorum commiſit Deus, jugiter id cogitent, ſe à Deo & cum illo regnare, & ſub eo & per eum militare, ut populus eò obſequentiorem ſe illis præbeat, atque alios Dominos non deſideret; atque illi, tanquam non ſuam, ſed Dei rem adminiſtrantes, caveant ne quid in illa innovent, aut mutent, quod non Deum ipſum facturum fuiſſe, ſi ipſe rebus intereſſet, ſibi perſuadere poſſint. Et quia Juſtitia & Religio duæ ſunt præcipuæ Rerumpubl. & Eccleſiarum columnæ & ſtabilimenta, quibus vel ſolis innixæ, perennitatem & beatum regimen ſibi ſpondere poſſint: utraque amabiles fructus ſuos dabit: Illa quidem ſi juſtis legibus armata in Curiis præſideat; Hæc ſi veritate & Pietate in Templis ſplendeat, atque ibi ſpectetur ut Aurora, pulchra ut luna, pura ut ſol, terrifica ut vexillationes.

Quis enim non illius Reip. civis eſſe optet, ubi

æqua-

æquabile jus omnibus dicitur, nullo habito ad personas respectu aut affectu? & leges sunt justæ, perspicuæ, sibi consentientes, sine hamis & laqueis, non nimia subtilitate spinosæ, aut multitudine laboriosæ, ut etiam qui causa cadunt, juste & secundum leges se succubuisse intelligant; sciantque neminem nocere illis posse, si boni æmulatores fuerint, id est, si honeste vixerint, unicuique suum tribuerint, neminem læserint.

Illam verò summam tuam gloriam ducito, Princeps religiosissime, quod quia hodie inter Christianos Principes, unus, ne dicam, solus Reformatæ Religionis, cui Deus his ultimis temporibus veritatem velut deposito dedit, audis Defensor & magnum Columen: ita illam complectaris, & enutrias, & in ulnis geras, ut Nutrix fovet fœtus suos. Quia verò Religio Christiana genium gentis, quæ illam amplexa est, etsi non mutat prorsus, attamen emendat & corrigit; & est velut ramus ab alia arbore adoptatus, qui quidem propriam naturam, saporem & fructum retinet, sed tamen trunci cui insertus est, succum & humorem & robur sugit, & corrigit atque in naturam vertit: Id maxime providendum, ne pietas politiæ, aut politia pietati præjudicium aliquod creet; Quod cum multis modis fieri possit, tum hôc quoque, dum ita docentur homines pietatem, quasi pii esse

 non

non possint, nisi ex mundo exeant, & morosa quadam sanctitatis affectatione & austeritate se à communi sorte hominum segregent. Utrumque enim extremum cavendum, & ne libertas nostra in licentiam abeat, aut nimius quidam rigor confessorum numerum minuat, & cum Ecclesia sentientes, & membra ejus esse cupientes, intempestive arceat, & ab ejus communione aversos reddat. Illud enim profanos, hoc hypocritas facit.

Et quia nunquam tam beata fuere, aut credibile est futura tempora, ut non hæresium & scandalorum aliqua seges enata sit: aut non etiam inter Orthodoxos, super difficilium præcipue S. scripturæ textuum interpretatione, aut dogmatum enodatione, aut objectionum solutione diversitas quædam sententiarum orta sit: (uti antiquitas multa talia certamina inter orthodoxos orta commemorat.) cautè hic incedendum, ne aut hæresis dicatur, quæ hæresis non est, aut veritas aliqua nigro theta notetur, ideo solum quia forte non animadversa ante, aut alicui nova videatur; aut omnia quæ in controversiam vocantur, ordinis ejusdem & ponderis habeantur.

Heic illud locum habet, quod prudenter olim *Augustum* monuit *Mecænas.* nim: inimicitias omnes, & ambitiosa certamina porsus esse exscindenda

denda, adeòque nec nova nomina, exorientis sectæ insignia & pabulum, & schismatis auctoramenta permittenda. Ita quidem, ut ne cui impune sit, in tam pulchro corpore schisma facere, aut sectæ novum nomen inducere, aut sine ultima necessitate partes facere, aut sequi. Ab Ecclesiæ enim pace, Reip. tranquillitas magnam partem pendet. Quæ tum maxime laborat, cum prævalent consilia calida & audacia, nec desunt homines, zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, audenter se negotiis immiscentes, & valida quidem initiis formandæ rei instrumenta, & ducendæ in quam partem volunt plebi, sciti Magistri; at non ita rebus prudenter gubernandis, & ad quietum finem perducendis & perficiendis apti & idonei. Cum tamen, judice Regum sapientissimo, *Finis rei sit melior principio ejus.* Itaque ferè videas, consilia ista, ita prima specie læta, tractatu esse dura, eventu tristia. Quare etiam caute & timide, neque diu nimis, nec semper, & in omnibus, istis utendum: ne si potestas illis & libertas nocendi cuiquam, aut calumniis gravandi permittatur; opprimantur innocui & boni, & inutiles reddantur labores eorum Ecclesiæ. Secus si accidat, & tempestas hæc detonet in innoxia capita, sequendum illis prudentissimum S. Augu-
stini:

ſtini conſilium, graviter nos, quaſi in tempora noſtra intuentis, aureis hiſce & cedro dignis
„ verbis monentis: Sæpe ſinit divina Providen-
„ tia, per nonnullas nimium turbulentas carna-
„ lium hominum ſeditiones expelli de congre-
„ gatione Chriſtiana, etiam bonos viros. Quam
„ contumeliam vel injuriam ſuam cum patien-
„ tiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, docebunt
„ homines, quam vero affectu, & quanta ſin-
„ ceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Talium
„ ergo virorum propoſitum eſt; aut ſedatis re-
„ meare turbinibus: aut ſi id non ſinantur, vel
„ eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo
„ reditu talis aut ſævior oriatur, tenent volun-
„ tatem conſulendi etiam eis ipſis, quorum mo-
„ tibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine ulla
„ conventiculorum ſegregatione, uſque ad mor-
„ tem defendentes, & teſtimonio juvantes eam
„ fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari
„ ſciunt. Hos coronat in occulto Pater, in oc-
„ culto videns. Rarum hoc videtur genus, ſed
„ tamen exempla non deſunt: imo plura ſunt
„ quam credi poteſt.

Sed avertat Deus, ut tam triſtis tempeſtas unquam obnubilet noſtrum cœlum, & felicitatem tui temporis corrumpat hoc fratrum, ſed minimè fraternum bellum! Inimicis potius iſta obveniant

veniant mala, & quibus Ecclesiæ dolor, est lætitia, & tum pinguescunt, cum illa macie tabescit. Quin id agimus potius, ut quæ intus nos urgent & depascunt mala, tempestivis remediis, & sanis consiliis protrudantur foras, ne tam valido corpori morbum aut languorem inducant. Quotquot ergo inter nos perfecti sumus, hoc sentiamus. Quod si qui aliter sentiant, non propterea illos statim à corpore abscindamus, aut fratrum albo expungamus. Quæ enim est humani judicii imbecillitas, fieri potest, ut illius, quem tu erroris arguis, sanior sit sensus, quam tuus, & tum potius audiendus & honorandus veniat, quam damnandus aut alienandus: aut si erroris manifesti compertus, qui tamen à salute non excludat, ne dubita, quin etiam Deus hoc illi, in quo aliter sentit, revelaturus sit. Interea qui Fratres dicimur, & sumus, & (ut nolint quidam) semper esse velle debemus: observemus alii alios ad provocationem charitatis & bonorum operum, cum omni modestia, & mansuetudine, & longanimitate tolerantes alii alios in charitate, studentes servare unitatem spiritus per vinculum pacis. Quod si dominatum appetentes & magis quæ nostra sunt quærentes, quam quæ sunt Christi, pacem horremus, tanquam proposito nostro adversam & inutilem: vereamur ne quam regno

urbi & domui, divisis contra se, desolationem & ruinam interminatus est Christrus, nostro nobis jumento accersamus: & contingat nobis illud, quod servo illi malo, qui dicebat in corde suo; tardat dominus meus adventum, atque inde occasionem capiebat verberandi conservos suos: venit enim dominus illius die quo non expectabat, & hora qua non noverat, & statuit partem ejus cum hypocritis &c.

Non credo me contra officium aut ætatis decorum peccaturum, si tribus verbis conditioné hominum & temporis nostri exponam & defleam. Illud est, quod longo usu mihi compertum est, non esse ex minimis seculi nostri malis: quod Christiana Religio, quæ olim confessorum recta fide, & fiducia bonitatis Dei innixa, ædificabatur in mutua charitate, & quotidie augescebat augmento Dei: hodie à multis creditur, factionibus, humanis consiliis, calumniis, & schismate fulciri & propagari debere. Quibus quò magis indulgemus, ut jam multis mos est, eo magis divinæ Providentiæ surripimus, quod illi in nos competit regimen, dum non illi, sed nobis ipsis nos gubernandos permittimus. Quò fit, ut Deus exasperatus peccatis nostris, nos tradat desideriis nostris, ut tanquam cæci ruamus in reprobum sensum, & quæ non decet faciamus. Ut verendum sit,

ne

ne neglectum hoc malum ab iis, qui proprio nimis addicti sensui, dictaturam sibi de omnibus pronunciandi & sententiam ferendi sumunt, non etiam tandem illud quod nobis restat boni, velut cancer depascat & consumat. Ita quidem, ut forte non longè distet tempus, ni Deus melius quid de nobis providerit, quo Regnum Dei frustrà hic & illic quæretur, quod intra paucos erit, qui Deum in spiritu & veritate adorant, quique quantum fieri potest, & quantum in ipsis est, cum omnibus hominibus pacem colere parati sunt.

Sed ne longiore alloquio tempora tua morer Princeps occupatissime, jam desino: memor quam breves sermones, non solum apud Deum sæpe, apud Principes semper grati & decori sint. Qui si prolixiores fuisse fortean aliquibus videbuntur, non id nobis imputet, sed illi de quo dicimus, cujus non solum Annales; sed & diaria scribere, integræ est historiæ opus. Quod ergo est mearum partium, mihi à nostro ordine demandatarum, Gratias ago Academiæ hujus nomine, cui festum hunc diem, ob præstitum præsentiæ tuæ desiderium, esse voluisti: & quam non diligere, sed & amare quoque Te, justum & æquum est, & nos de illo dubitare non sinit nobilis ille Decessorum sanguis, ab illis in Te transfusus, & quem in Te

hebere non pateris. Etenim Proavus tuus Gulielmus, primus ejus fundator & legiſlator, hanc urbẽ, in præmium invictæ virtutis, qua cives in defendenda Patria, Religione & Libertate, & toleranda obſidione, fame, peſte, omnibus belli malis defuncti, hoſpitium Academiæ, & ob ſitum, amœnitatem, & annonæ abundantiam, & Civium humanitatem, Muſis gratiſſimum domicilium eſſe voluit. Cujus veſtigiis inſiſtentes duo filii Mauritius, & Henricus avus tuus, primò Matris noſtræ Academiæ Cives & membra Juvenes fuiſſe (quod teſtantur nomina eorum manibus propriis matriculæ noſtræ inſcripta) deinde Patroni quoque ejus cluere, honori ſibi duxerunt; ſed nos præcipue nobis. Quemadmodum neque novum neque inſolens Tibi, auguſtum vultum tuum, cum ſtudiorum cauſa in hac urbe degeres, aliquoties in ſolennibus ejus pompis nobis ſpectandum ex hoc loco præbuiſſe: In eo quoque imitatus magnos Principes, qui non dedecere majeſtatem ſuam arbitrati ſunt, Profeſſorum ædes circumire, inire, & circa ſcholas & auditoria Profeſſorum aſſiduos eſſe, & inopinatos recitantibus intervenire. Quin & Sereniſſimis Belgarum Principibus, Alberto & Iſabellæ in laude datum, quod Lovanii cum eſſent, Juſtum Lipſium, hujus quoque olim Academiæ Profeſſorem & Rectorem; ex tempo-

re

re dicentem audire, & pars esse Auditorii gratiosè voluerunt. Neque infra dignitatem suam esse putavit serenissimus magnæ Etruriæ Princeps, quando cum Comitatu suo ex hoc loco conspici nuper voluit, atque Mediceæ domus, & suas laudes, dicente D. Gronovio, aureo illo ore, qui nunc est cum beatis, audire & cognoscere.

Quod Te quoque nunc facere voluisse, in non minima felicitatis nostræ parte ponimus, eoque nomine nobis & Academiæ gratulamur, & Celsitudini Tuæ gratias, quas possumus, agimus; quia referre aut rependere quas volumus, non possumus. Perge ita Princeps optime, decus & præsidium nostrum, bene de genere humano mereri; neque sat tibi sit, Civium & Militum amorem & obsequium demeruisse, ut non & eruditorum chorum tibi ut animis addictum, ita & ore & linguis faventem habere, inter titulos tuos non ultimus numeretur. Velis ergo hanc Academiam, Proavi tui primum fœtum, & ut Galliæ Regibus Parisiensem suam appellare mos est, filiam primogenitam; atque in ea docentes, & Religionis, & universi juris, & Medicæ artis, & scientiarum, artium & linguarum Magistros & splendentia luminaria, favore & amore tuo complecti: & ne quid Matri, aut alumnis ejus vel ad necessitatem, vel ad ornatum & splendo-

rem desit, providere, inter præcipua & rara decora tua reputa.
Neque vero adeo sumus informes, ut non pari passu cum civibus reliquis, & mercenariis Militibus nobis incedere apud Te liceat: nec minora quæ à nobis redundant commoda. Ut enim illi objectu corporum suorum, vitam tibi securam, victorias faciles & certas spondent: ita hi calamis suis tuam posteris famam loquentur, & quæ toga & sago feliciter geres, victuris monumentis ab oblivione vindicabunt. Spirantes statuas, & vivos de marmore vultus, trophæa, sepulchra, insignia hostibus erepta, & aularum lacunaribus suspensa, aut mutatus dominus tollet, aut ignis absumet, aut edax vetustas abolebit: sola ingenii monumenta perennant, & regali Pyramidum situ altiora, suprà invidiam & pallorem posita sunt, & ad omnium seculorum conscientiam pertinent.

Tantum Mecænas esse velis, & spondere ausim, non defuturos ex nostro numero, non solum Marones & Livios; sed neque præclaros Militiæ duces, & fortes Milites. Cujus rei egregium documentum se nuper oculis nostris obtulit, illa Academicorum Quiritum Cohors, quæ trepidis Patriæ rebus, ne illi suam operam deesse paterentur, spontaneæ militiæ sub eximio Capite

pite

pite Professore suo, ne Pallada nostram Marti insociabilem putes, nomen dare voluere. Sub quo brevi tempore ita profecere, & omnes incedendi, festinandi, standi & quiescendi modos tam avide arripuere, omnes flexus & motus corporis rursum prorsum, antrorsum, retrorsum, sinistrorsum, dextrorsum docti sunt, & ad nutum oculi & manus sui ducis gestus aptare; bombardam rite & ad artis regulas humeris imponere, manibus versare, explodere; hastam scienter vibrare didicerunt, & omnia strenui militis officia & munia adimplere, quasi vel à natura ad hoc facti, vel ætatem in istis exercitiis trivissent. Neve tantum simulatum hoc bellum putes, aut ludicra Martis exercitia; nullus eorum est, qui non flagitantibus sic Patriæ rebus; paratus sit, verum bellum suscipere, & ficta hæc prælia in seria convertere, & omne Principis periculum subire suo, atque vitam etiam pro laude pacisci.

Quod superest, Deum ex animo veneror, Princeps à Deo date, in cujus salute omnium nostrum vertitur, ut diuturnum & felix Tibi & nobis velit hoc ceptum esse imperium: utque devictis & triumphatis hostibus, longæ Pacis succedant munera; atque Gratia & Veritas occurrant sibi invicem, justitia & Pax se osculentur, & post hanc ignominiam, habitet gloria interra nostra.

Ita,

Ita, *Serus in Cœlos abeas, diuque*
Lætus interſis populo Batavo:
Neu ſinas Anglos Mare clauſum habere,
Neu ſinas Gallos equitare inultos,

Te Duce, PRINCEPS.

DIXI.



pag.6. l. 9. πολυπραγμοσύνη p.7. l.1. apophthegmata. p. 16. lin. 27. certum & Belgio. l. è Belgio. p.29. l.21. ambitio p.37. lin.8. quales. l. 10. jacturam facere. l.16. & ſtantes. p.38. l.2. dele, opportunè. p.39. l.17. exanimati. p.40. l.9. manum poſſe. p.45. l.26. obtemperare. p.51. l.7. diſſentientium.

